Zur

öffentlichen Prüfung

der Zöglinge

des

Königlichen Gymnasiums zu Lissa

am 8. April 1854

ladet

alle Beschützer, Gönner und Freunde des Schulwesens,

ehrerbietigst ein

der Director des Gymnasiums

A. Biegler.

Inhalt:

1. Eine Abhandlung vom *Professor Matern.*
2. Schulnachrichten vom *Director.*

Lissa.

Gedruckt bei Ernst Günther.

BIBLIOTEKA UNIW. W POZNANIU
III
209442

Wypożycza się
tylko do czytelni


BIBLIOTEKA
VNIWERSYTECKA
W POZNANIV

III D 16

Zur

öffentlichen Prüfung

der Zöglinge

des

Königlichen Gymnasiums zu Lissa

am 8. April 1854

ladet

alle Beschützer, Gönner und Freunde des Schulwesens,

ehrerbietigst ein

der Director des Gymnasiums

A. Ziegler.

Inhalt:

1. Eine Abhandlung vom *Professor Matern.*
2. Schulnachrichten vom *Director.*

Lissa.

Gedruckt bei Ernst Günther.

ak 1073

~~III D 16~~

HISTORISCHE GESELLSCHAFT
für die
PROVINZ POSEN.

209 442. III/1853/54

BIBLIOT. UNIWERSYT.
W POZNANIU

1953 Da 731

De ratione ea, qua Cicero in oratione pro L. Murena habita cum Stoicos tum M. Catonem tractarit, subjunctis duabus quaestionibus altera de fide Ciceroni et oratori et philosopho habenda, altera de sapiente Christiano,

sive

de Stoicorum universe atque singillatim de M. Catonis Uticensis moribus de fideque Ciceroni et oratori et philosopho habenda adjuncta sapientis Christiani descriptione.

Si ulla apud Ciceronem exstant documenta ejusmodi, ex quibus etiam facete dicendi artem eum tenuisse atque scienter admodum tractasse appareat, ejusmodi loci duo illi sunt, quibus in oratione pro Murena habita futilitatem scientiae juris (§§. 19—30.), quam quidem sui temporis jurisconsultis aliqua ex parte verissime objecit, aliqua autem ex parte Servii Sulpicii cavillandi causa iis affinxit, et nimiam atque a sana ratione abhorrentem Stoicorum atque inprimis Catonis acerbitatem morum ridet (§§. 61—65.). Quorum locorum hic alter non solum eam ob causam summam admirationem nostram movet, quia ad extremum oratori propositum consilium vincendi efficacissimus est, sed etiam propter ingeniosissimam personae Catonis tractandae rationem, qua una ex parte ingenti facetiarum mole in eum conjecta praepotens ejus auctoritas obruitur atque splendidissime profligatur, altera ex parte tamen etiam virtutes ejus agnoscuntur atque extolluntur, ne nimis neglecta verecundia ei debita ipsi oratori atque etiam reo damno esset. Sane locus hic tantas omnis artis atque oblectationis venustates continet, ut legentem ad vocem illam rapiat: non possum, quin exclamem (Cic. de orat. 2, 10. Plaut. Trin. 3, 2, 7.). Sed hunc locum contemplanti operae mihi pretium visum est, paulo accuratius in universam eam rationem inquirere, qua Cicero hic Catonem atque omnino Stoicos tractavit, atque inprimis ad id attendere animum, utrum merito atque veritati convenienter an immerito atque falso Cicero omnia ea in Catone atque Stoicis vituperarit, quae iis in hac oratione objecit, deinde utrum vera sint necne, quae in Catone etiam laudavit; qua in quaestione primum nexum rerum in universa hac oratione tractatarum exponam, brevem earum conspectum exhibendo, ut et iis, qui hanc orationem omnino non legerunt, et iis, qui singulas ejus partes non satis memoria retinuerunt, summa hujus orationis ante oculos ponatur; tum singulas eas

colligam reprehensiones, quas Cicero in Catonem atque omnino in Stoicos congessit, subjunctis iis, quibus Catonis culpam interpositis ejus laudibus mitigavit; deinde censuram dabo Stoicorum atque Catonis, qua testibus adhibitis veteribus scriptoribus demonstrabo, vera esse ea, quae in hac oratione vitio iis vertuntur, vera etiam ea, quae in Catone laudantur, subjunctis quibusdam de ea fide, qua Cicero in oratoris atque philosophi munere obeundo dignus videtur, denique, ut, quum de falsa Stoicorum sapientia locutus sim, huic veriorem ex adverso apponam, exemplum sapientis Christiani, id est ejus, cujus speciem nostra aetas ex exemplo atque doctrina Christi atque eorum, qui ejus doctrinam amplexati sunt, sapientium, effinxit, adumbrare conabor, ex quo appareat, quam longe sapiens Christianus a Stoicorum mente recedat.

Cap. I. Brevis conspectus orationis a Cicerone pro Murena habitae.

Sub finem ejus anni, quo Cicero consul erat, quum L. Licinius Murena et Dec. Junius Silanus comitiis consularibus in posterum annum consules designati essent, L. Murenam tres subscriptores, Cn. Posthumius, Serv. Sulpicius, homo propter eximiam juris scientiam auctoritate florentissimus, et M. Cato, qui a plerisque summae virtutis exemplum habebatur, de ambitu accusaverunt. Serv. Sulpicius id fecit ira atque aemulatione commotus, quia, quum eodem tempore consulatum petiisset, repulsam tulerat, Cato sine dubio, quia revera putabat, Murenam largitionibus a corrupta multitudine suffragia tulisse; Murena autem, teste Cicerone, splendidis ludis in praetura editis et egregiis suis in bello Mithridatico sub imperatore Lucullo meritis plurimorum gratiam inierat. Defensionem ejus tres oratores susceperunt, Q. Hortensius, M. Crassus et Cicero ita, ut quum tres in hac causa actiones haberentur, Cicero extremum locum dicendi teneret (§. 48.), qui locus ei honoris causa, ut summo oratori postrema contentionis pars ad vincendum gravissima obveniret, mandari solebat (cf. orat. pro Sextio c. II. Orator c. 37. §. 130.). Cicero igitur primum a Diis precatur, ut sententiis judicum consulatus L. Murenae servetur eaque res ipsi Murenae, judicibus populoque Romano saluti sit (c. 1.); deinde declarat, necesse esse, ut, antequam pro L. Murena dicat, pauca pro se ipso dicat, ad invidiam hujus a se susceptae defensionis, quam M. Cato atque Serv. Sulpicius, accusatores, conflare sibi voluerint, removendam. Nam Cato id ei exprobraverat, quod, quum ipse severam de ambitu legem tulisset, et severe consulatum gessisset, nunc tantum a priori gravitate deflecteret, ut Murenam ambitus reum defendere conaretur, Sulpicius, quod oblitus prioris erga ipsum amicitiae nunc adversarium ipsius defenderet.

Refutat igitur Cicero horum reprehensiones in ipsum conjectas ita ut Catoni respondeat, se severum ibi fuisse, ubi reipublicae tempora id postulassent; hac in re ad solitam suam lenitatem, ad quam natura ipsa sua inclinet, redire se posse; nam Murenam insontem esse, ita ut legis severitas in hunc cadere non possit; Sulpicio, se etiam Murenae amicum jamdudum esse; nihilominus se, donec licuerit, Sulpicii amicitiam potiorem habuisse eumque in consulatus petitione adjuvisse, sed nunc, rebus mutatis, quum alter amicus in summum periculum adductus sit, suum esse, laboranti et periclitanti succurrere, maxime se ipsum consulem illi consuli futuro (c. 2—4.). Initio capitis quinti indicat, tres totius accusationis partes fuisse, quarum una in reprehensione vitae, altera in contentione dignitatis, tertia in criminibus ambitus versata sit.

Primae partis refutatio, qua vita Murenae ab omni macula vindicatur, continetur capite quinto et sexto; alterius refutatio pertinet a capite septimo usque ad vicesimum sextum, qua demonstratur Murenam in existimatione vulgi Servio Sulpicio, qui consulatu una cum L. Murena ambien-

do cum hoc dignitatis certamen iniisset, multo superiorem fuisse, et fieri non potuisse, quin ille vinceret. Inde a fine capitis vicesimi sexti (§. 54.) ad tertiae partis refutationem transitur, praemissa conquestione de adversa Murenae fortuna, qua nulla ab eo data causa tam vehementes in eum concitentur adversarii (c. 27.). Ex ipsa hujus partis refutatione hodie nihil eorum, quibus Cicero duos priores accusatores redarguerat, exstat, sive haec consilio a Cicerone in edenda hac oratione omissa sunt, quod nonnulli interpretes volunt, sive injuria temporum interciderunt; exstant igitur ea tantum, quibus Catonis accusatio refellitur, quatenus ad crimen ambitus Murenae objectum pertinebat (cap. 28—38.). Universa refutatio Catonis in his duabus rebus versatur: primum elevatur auctoritas Catonis, qui nimia quadam animi asperitate e Stoica philosophandi ratione tracta in errorem atque ad nimiam accusandi licentiam inductus sit, cui reprehensione ea subjungitur, quod Cato in vitae suae publicae ratione sibi non constet, sed contra sua ipse praecepta peccet, plebem in ambiendo magistratu salutando, prensando, rogando; deinde declaratur, Catonem Murenae ambitum exprobrasse, sed non demonstrasse; ejus accusationem nullo firmo argumento niti, sed in invidiosa rerum, quae more fiant, interpretatione. Concludit totum hunc locum Cicero additis his: Quod Cato reipublicae amorem atque studium suae accusationi praetendat, se vel magis de periculo a Catilina instanti sollicitum esse, multo vero etiam majorem in eo discutiendo operam posuisse, et propter illud ipsum reipublicae imminens periculum se defendere causam Murenae atque etiam Catonis esse, pro virili parte sua elaborare, ut Murena, designatus consul, incolumis servetur; consilia enim nefaria Catilinae nullo alio modo irrita fieri posse, quam si fortis atque belli peritus consul, qualis futurus sit Murena, iis obviam eat; contra, si hic damnaretur, fore, ut novis comitiis consularibus habendis respublica novis periculis objiceretur. Admonet igitur Cicero Catonem, ut, quum proximo anno tribunus plebis futurus sit, pro insigni suo in patriam amore se cum Murena consule conjungat ad rempublicam communi consilio defendendam.

Inde a capite tricesimo nono usque ad finem sequitur peroratio, in qua Cicero judices orat, ut Murenam incolumem servent propter reipublicae salutem, quae id postulet, et propter ipsius Murenae, innocentissimi hominis, misericordiam.

Nunc transibo ad eas reprehensiones, quas Cicero in hac oratione in Stoicos atque Catonem conjecit.

Cap. II. Reprehensiones a Cicerone in hac oratione in Stoicos atque Catonem conjectae.

Cato in accusatione Murenae dixerat, Ciceronem non recte fecisse, quod ipse consul et legis de ambitu lator et tam severe gesto consulatu causam L. Murenae ambitus accusati defendendam suscepisset. Respondet Cicero, se recte fecisse; nam fas potius esse, consulem designatum et innocentem, in jus vocatum, a consule potissimum defendi; hoc postulare dignitatem et commodum reipublicae; deinde si in impugnando Catilina, reipublicae hoste, perniciem ei molienti, severus fuisset, id nihil impedire, quominus innocentibus civibus humanum se et benevolum praebeat; contra, non solum officio se impelli ad hominis amici salutem defendendam, sed etiam ipsam naturam suam se hos lenitatis atque misericordiae partes docuisse, quas semper libenter egerit.

Deinde etiam in refellendo Servio Sulpicio affirmat, quum defensionibus suis tantam a populo Romano inierit gratiam, ut ad summos in republica honores propter hanc industriam bonos cives defendendi evectus tantisque praemiis affectus sit, jam in perpetuum suum esse, sublevandis hominum periculis operam suam impertire.

Quo gravioribus verbis Cicero omnibus his locis humanitatis officium urget, eo magis invidiosam facit malevolentiam accusatorum, maxime Catonis. Sed auget hujus invidiam, quum eum accuset, quod falso odiosissimam maculam famae Murenae adspergere voluerit, atque eo injustitiae atque mendacii processerit, ut contra veritatem atque etiam contra omnem veri speciem saltatorem eum appellarit. Hoc probrum contra innocentem, ab omni luxuria alienum hominem conjectum dicit esse maledici conviciatoris; tale maledictum ex trivio aut ex scurrarum aliquo convicio arreptum parum decere Catonis gravitatem. Videmus, Ciceronem Catoni sane non parcere, sed gravissimis verbis malignitatem ei exprobrare. Sed etiam aliud affert malevolum Catonis dictum prorsus a vero alienum. Quum Murena in bello Mithridatico optime de republica meruisset, Catonem dicit omnem ejus laudem ad nihilum redigere voluisse, dicere ausum, bellum illud omne cum mulierculis gestum esse. Hoc ejus dictum Cicero refellit ita, ut dicat, bellum illud maximum fuisse, et L. Murenam, legatum Luculli, in eo cognitum esse fortissimi animi, summi consilii, maximi laboris, et hanc ejus operam maxime ei usui fuisse ad consulatum adipiscendam. (§§. 31—34.)

Sed summa accusationis erat, quod Murena largitionibus multos cives corrupisset, ut sibi in comitiis consularibus suffragarentur, et quum Cato, omnium opinione vir integerrimus huic accusationi subscripsisset, praejudicium inde oriri potuit Murenam jure ambitus accusatum esse. Hoc praejudicium ut refutet, Cicero primum auctoritatem Catonis prioribus reprehensionibus jam subrutam prorsus evertere studet; cui orationis suae parti ita praefatur: semper in judiciis apud Romanos eum obtinuisse morem, ut judices et populus ipse impedirent, ne nimia accusatoris vel potentia, vel dignitas, vel auctoritas reo obesset; id apparere multis exemplis; sic L. Cottam, quum P. Scipio Africanus Major eum accusasset, maxime eam ob causam absolutum esse, ne nimiis accusatoris viribus proditus et abjectus videretur; sic Serv. Galbam accusante ipso hujus Catonis proavo, Marco Catone, cui Majoris vel Sapientis cognomen inditum est, a populo Romano periculo ereptum esse, quum populus Romanus nollet, nimiam accusatoris potentiam, auctoritatem, vim, gratiam ad perniciem accusati quidquam valere. De utroque hoc judicio Valerius Maximus libr. 8, cap. 1, 2, 11. ea affert, quae affirmant, vera esse, quae Cicero de iisdem judiciis hic affert. „Valeant potius, Cicero inquit, hae res, potentia, auctoritas, gratia, in bonam partem, ad salutem innocentium, ad auxilium calamitosorum.“ Sic neque magnam Catonis auctoritatem vult damno esse Murenae; alioquin iniquissimam futuram esse conditionem reorum, si judicium praevalentis alicujus accusatoris a judicibus pro norma judicandi habeatur. Tum Cicero, postquam exemplis e prioribus judiciis petitis demonstravit, morem Romanum potentibus accusatoribus inimicum esse, jam vehementius Catonem adgreditur, dicens, quum plurimi quidem faciat egregias ejus virtutes, tamen esse in eo quaedam leni admonitione indigentia; Catonem natura quidem ad optima quaeque natum et factum esse, sed tamen in nonnullis leviter emendandum et quodammodo inflectendum videri, maxime eam ob causam, quia ad illam optimam indolem accessisset paulo asperior et durior, a veritate et natura et sana ratione recedens doctrina, doctrina Stoica; de qua paulo copiosius esse disserendum. Nunc affert Cicero multa singula e Stoicorum disciplina petita praecepta atque opiniones ejusmodi, quae sane omni sanae rationi bellum indicere videantur, et quum Catonem dicat talia praecepta toto animo imbibisse, omni facetiarum sale eum perfricat et irridendum judicibus et coronae tradit. Ut etiam auctor hujus doctrinae rideatur, incipit Cicero ejus mentionem ingeniosissime eo modo, quo obscurissimorum et levissimorum hominum mentio inferri solet, a verbis: fuit quidam vir, et a figura inopinati et repugnantiae contrariorum. Nam verba haec: fuit vir quidam summo ingenio, cujus sententiae et praecepta

sunt ejusmodi, quum sequantur sententiae perridiculae, sane exhibent exemplum inopinati et repugnantiae contrariorum. Etiam irrisio ex simulatione in illis verbis: vir quidam fuit summo ingenio, inveniri potest. Sine dubio haec ridicula in Zenonem jaculans Cicero plerosque judicum assentientes habuit, quum pro certo statui possit, illis temporibus jam multo majorem partem nobilium Romanorum Epicuri, minorem Zenonis signa secutum esse.

Quum oratio haec, Cicero inquit, coram eruditis hominibus habenda sit, paulo accuratius inquirere juvabit in Zenonis praecepta; sunt hujusmodi: sapientem gratia nunquam moveri, nunquam ignoscere, nunquam misericordem esse, nunquam exorandum vel placandum se praebere; sapientem solum esse formosum, divitem, regem, ceteros contemnendam plebem, insanos; omnia peccata esse paria; nullum esse discrimen levioris aut gravioris peccati; omne delictum scelus esse nefarium, etiamsi levius videatur; sapientem nunquam opinari, nunquam falli; nullius eum rei poenitere; nunquam eum mutare sententiam. Addit Cicero, Catonem haec praecepta studiosissime arripuisse, neque id ad vanam doctrinae ostentationem, sed revera eum ad normam earum totam vitam suam dirigere. Deinde ostendit, quam praefracte talibus praeceptis imbutus homo in vita communi se gerat; rogantes aliquid aspernatur; veniam delicti non dat fatentibus, nihil gratiae, nihil misericordiae tribuens, nullum levioris aut majoris peccati discrimen agnoscens. Si semel quidpiam dixit vel constituit, etiamsi errore ductus dixit, constituit, nihil mutat; erroris culpam in sapientem non admittit; si ira commotus aliquid dixit aut fecit, in eo perstat, sapientem non irasci asseverans. Haec omnia non solum contra Stoicos, sed praecipue contra Catonem dicta esse apparet, primum e nexu sententiarum, quum antea dictum sit, Catonem illa praecepta Zenonis penitus imbibisse, non ut de iis disputare posset, sed ut ex eorum norma viveret, et statim exempla subjungantur, quibus satis aperte Catonis persona significatur. Nam quod Cicero dicit: petunt aliquid publicani; cave quidquam habeat momenti gratia, et: hac ex disciplina nobis illa sunt: dixi in senatu, me nomen consularis candidati delaturum, his exemplis persona Catonis significatur, quum omnibus notum esset, hoc utrumque Catonem revera brevi ante fecisse. (Cic. de offic. 3, 22, 88. epist. ad Attic. 1, 17, 17.) Fieri igitur non potuit, quin omnes, qui haec audirent, ad Catonem ea referrent et judicarent, mores ejus parum humanitate tinctos esse.

Deinde praeceptoris personam Cicero induit, ad meliorem mentem Catonem perducere cupientis. Jam initio hujus reprehensionis personae Catonis Cicero dixerat: Ego tuum consilium, Cato, propter singulare animi mei de tua virtute judicium vituperare non audeo; nonnulla forsitan conformare et leviter emendare possim. „Non multa peccas, inquit ille fortissimo viro senior magister; sed si peccas, te regere possum.“ Erat hic locus sine dubio notissimus iis, qui audiebant, e vetere poëta Romano ductus et verba exhibens Phoenicis, qui dux et comes Achilli a patre, Peleo, additus erat, quibus verbis ille alumnum suum alloquitur. Ad eandem rem Cicero etiam in tertio de oratore libro (cap. 15.) respexit, afferens locum Homeri (Il. IX, 443) his verbis: „ut ille apud Homerum Phoenix, qui se a Peleo patre Achilli juveni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum efficeret „oratorem verborum actoremque rerum.““ Agit igitur hoc loco Cicero cum Catone ut magister cum discipulo; et quanquam admonitionem mitigat addens: „at ego te verissime dixerim peccare nihil, neque ulla in re te esse hujusmodi, ut corrigendus potius quam leviter inflectendus videare“ (§. 60.), tamen iterum eum corrigit. Deinde eum manu quasi ducit ad alios magistros, quibus ipse usus sit, ad Academicos vel Peripateticos (§ 63, 64.), his verbis: „hos ad magistros si qua te fortuna, Cato, detulisset, non tu quidem melior esses, sed paulo ad lenitatem propensior.“

Proponit igitur ei ante oculos aliorum philosophorum, Academicorum vel Peripateticorum, rectius temperatam sapientiam, veram humanitatis atque rectae rationis magistram, in omnibus Stoicae doctrinae prorsus contrariam. Addit, si Cato ad horum philosophorum disciplinam se applicuisset, futurum fuisse, ut paulo ad lenitatem propensior rectum in judicando atque agendo modum observaret. Deinde commiserantis in modum loquitur, certo se confidere, Catonem et ipsum aliquando die edoctum ad veriorem rationem transiturum esse; denique jubet eum ad homines clarissimos respicere, qui etsi eadem Stoicorum disciplina usi sint, tamen egregia omnis humanitatis exempla fuerint, ad Scipionem Africanum Minorem, ad L. Philum, ad C. Gallum et vero etiam ad proavum ipsius, ad Catonem Majorem, quem ipse dixerit „domesticum exemplum ad imitandum sibi propositum," cujus si comitatem severitati suae adsperserit Cato, illas, quae nunc in eo sint virtutes, non quidem majores futuras esse, sed tamen conditas jucundius. Apparet, hac praeposteri sapientis Stoici imagine proposita quantum de auctoritate Catonis detractum fuerit.

Totum hunc locum, qui id agit, ne quid reo obsit auctoritas Catonis, his gravibus verbis concludit orator: „qua re tolle mihi e causa nomen Catonis; remove ac praetermitte auctoritatem, quae in judiciis aut nihil valere aut ad salutem debet valere; congredere mecum criminibus ipsis." His verbis parat sibi Cicero transitum ad alteram partem hujus in Catonem directae refutationis, qua contendit, crimina, quae Cato Murenae objecerit, non vera esse; nihil illorum ab eo demonstratum esse; niti ea omnia in falsa rerum, quae liceant fieri, interpretatione; Catonem dicere, Murenae multos obviam prodiisse de provincia decedenti, consulatum petenti. Subjicit Cicero, id fieri solere; Catonem dicere, multos eum sectatos esse; spectacula esse ab eo tributim data et ad prandium vulgo vocatos; idem a Serv. Sulpicio Murenae crimini datum esse. Respondet Cicero, neutrum eorum argumentis probare id potuisse. Cicero igitur his iterum Catonem falsae arguit accusationis, qua odiosius sane nihil esse potest. Deinde Catoni objicit, quod hominibus inferioris ordinis occasionem adimere velit, qua se gratos praebere possint nobilioribus; sed hanc a natura hominibus insitam voluntatem nulla lege adimi iis posse.

Denique Cicero Catonem inducit prorsus Stoice atque austere loquentem, quod negasset licere, „hominum benevolentiam cibo aut aliis voluptatibus allicere;" quam orationem sane horribilem esse; sed usum, vitam, mores, civitatem ipsam eam respuere; licere, populum mensis paulo laetiori apparatu excipere; privatam luxuriam odisse populum Romanum, diligere publicam magnificentiam; sic etiam alium Stoicum, Q. Tuberonem, ineptissimum se praebuisse, quum in funere Scipionis Africani Minoris, avunculi sui, celebrando et triclinio populo sternendo prorsus inopportunam in tali re parsimoniam vel potius rusticitatem prae se tulisset, nulla decori ratione habita; nam tum pelliculis hoedinis lectulos Punicanos stravisse et vasa Samia exposuisse illum, ceterum hominem eruditissimum, sed Stoicum, „quasi vero Diogenes Cynicus mortuus esset, et non divini hominis Africani mors honestaretur (cap. 36. §. 75.)." Hanc perversam sapientiam Tuberonis tum graviter tulisse populum Romanum, itaque factum esse, ut repulsam ille tulerit et hoedinis quidem illis pellibus praetura dejectus sit. (§. 76.) (Ejusdem Tuberonis ut hominis philosophiae studiosissimi mentionem Cicero facit libr. 3. de oratore, cap. 23. et eodem loco etiam Scipionis eandem in partem.)

Hanc totam Catonis reprehensionem postremo cumulat Cicero eo, quod dicit, hunc suis ipsum praeceptis non constare (§. 76. 77.); eum ipsum in petendis magistratibus admodum humiliter se gerere; secum habere nomenclatorem et salutare et prensare cives inferioris ordinis, rogantem eos, ut se adjuvent; hac in re fallere eum et decipere, si res accurate atque ex ejus rationis norma judicetur, quam ipse Cato pro lege proponat; recta haec esse, si ad rationem civitatis

ea dirigas, pravissima, si ad disciplinae Catoni probatae praecepta ea perpendas. In omni denique hac accusatione, quam Murenae intendisset, Catonem praepostere agere, dicit Cicero, inductum in errorem morosa illa Stoicorum doctrina. Quaeritur igitur, rectene fecerit Cicero, quum tales Catonem atque Stoicos describeret. Respondeo, omnia ea, quae hic contra eos dixit, vera esse minimeque ficta, eandemque fuisse non solum eorum, qui haec audiebant, sed etiam vulgi de Stoicis et de Catone opinionem. Ceterum Cicero sane talia illis exprobare non potuisset, nisi veritatem secum stantem habuisset. Id ita se habere, in tertia hujus disquisitionis parte demonstrabo, quum prius pauca de iis subjunxero, quibus Cicero Catonis culpam interpositis ejus laudibus mitigavit.

Cicero suae ipsius auctoritati obfuisset, quin etiam Murenae causam in aleam commisisset, nisi acerbitatem eam, qua usus est contra Catonem, adjunctis debitis ei laudibus emolliisset. Infringere Catonis vires potuit, ne reo nocerent, ipsumque castigatione sua perstringere, occidere non debuit, id quod Quintilianus Ciceronis artem admirans his verbis significavit: „quam molli articulo tractavit Catonem!“ (libr. XI, c. 1. §. 68 sq.) Quum igitur vituperet Catonem, tamen etiam laudat, et rem ita temperat, ut per accusationem verecundia personae ejus habita pelluceat. Primum igitur id laudibus Catonis dari apparet, quod Cicero eum vitam suam dicit dirigere ad certam rationis normam et diligentissime omnium officiorum momenta perpendere (§. 3.), quod est hominis severam in regendis moribus suis censuram adhibentis, ab omni levitate alieni. Deinde vocat eum gravissimum atque integerrimum virum, cui ipse rationem facti sui vehementer cupiat probari (§. 3.). In iis, quae aliquanto post sequuntur, dicit Catonem eum esse, qui quum virtutes ejus et merita maxima sint, opibus suis atque ingenio nullo modo ad perniciem ne inimici quidem uti debeat, eum, qui ea conditione natus sit in civitate Romana, ut omnibus, etiam alienissimis, praesidio esse debeat (§ 56.); paulo post adjicit, eum firmamentum ac robur totius accusationis esse (§. 58.). In his omnibus igitur agnoscit maximam ejus auctoritatem atque magnitudinem animi. Ingrediens deinde in acerbiorem Catonis accusationem, hanc ita inducit, ut praemittat, se eum vituperare paene non audere propter singulare animi sui de ejus virtute judicium; addit, Catonem, etiamsi in minoribus rebus paululum conformandus et leviter emendandus et inflectendus sit, tamen nulla in re majori peccare, sed a natura ipsa ad omnem potius honestatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, justitiam, ad omnes denique virtutes natum et factum esse ita, ut magnus et excelsus evaserit (§. 60.); agnoscit porro egregiam ejus naturam (§. 64.) et animi vigorem (§. 65.). Denique sub finem orationis, ubi de reipublicae periculis agit, quum Catilina in eum impetum faciat, concedit Catoni, eum summo reipublicae studio atque amore in omnibus duci (§. 78.), et nonnisi imprudentia labi, atque significat, se in defendenda republica etiam Catonis opera atque virtute confidere et maxime quidem, quum postero anno tribunus plebis futurus sit. „Te, te appello, Cato! inquit; nonne prospicis tempestatem anni tui? (§. 81.) Tibi etiam isti reipublicae hostes perniciem moliuntur; vident quantum in te sit animi, quantum ingenii, quantum auctoritatis, quantum reipublicae praesidii (§. 82.). Te igitur et ipsum opprimere vehementer cupiunt. Sed tuum est, Cato, qui non mihi, non tibi, sed patriae natus es, reipublicae saluti mecum prospicere (§. 83.).“

Ita Cicero summo artificio accusationem Catonis cum summis ejus laudibus miscuit; utrasque ita temperavit, ut accusatio Catoni vires nocendi abstulerit, laudatio animum ejus reconciliarit. Sed jam videbimus de veritate omnium earum rerum, de quibus hactenus disseruimus, atque primum quidem de iis sententiis, quas Cicero Stoicis generatim tribuit (cap. 29.), rectene se habeant an secus? deinde de Catone singillatim agemus.

REGIST. UNIVERSITATIS POSNANIENSIS

Cap. III. Censura Stoicorum, qua ex veterum scriptorum testimoniis demonstratur, vera esse ea, quae in hac oratione iis a Cicerone objiciuntur.

Hanc de vitiis Stoicorum disputationem ingrediens moneo, Ciceronem in hac oratione nostra eas tantum verae rationis fines excedentes Stoicorum sententias afferre, quae eos in vita communi inhumanos, immites, acerbos aliisque ingratos atque odiosos reddiderint, quia hae potissimum id efficere poterant, ut eorum, qui aderant in judicio, animi ab iis abalienarentur et Catonis auctoritas infringeretur; multa alia, quae Stoici extrema sequentes et ultra veri rectique fines progredientes de multis iisque gravissimis rebus, de bonis externis, de dolore, de morte contemnenda, aliis, statuebant, hoc loco omitti, quia ad hanc causam nihil pertinebant, simul, ne talia e media doctrina petita taedium in audientibus moverent. Talium plena sunt ea, quae Cicero ipse aliquot annis post habitam hanc orationem in paradoxis atque in disputationibus Tusculanis e mente Stoicorum scripsit, quum omissa rerum publicarum cura ad philosophiae studia rediisset. Sed nunc agimus de iis, quae loco nostro Cicero objicit Stoicis, utrum jure atque veritati convenienter, an injuria atque falso haec iis exprobrarit.

Revera Stoici ea, quae hic iis tribuuntur, statuerunt, itaque factum est, ut eorum inhumanitas atque arrogantia vulgo male audiret (cf. pag. 10.). Perfecti sapientis exemplum proponentes hunc omnibus modis ornare studebant. In sapientiae notione plenam maximarum rerum scientiam et absolutam virtutem complectentes, qua utraque summa perfectio efficiatur, in una ratione posita atque in recte sentiendo et recte agendo conspicua, recte ita statuebant, talem sapientiam summum esse, quod homo assequi posset, itemque recte statuebant, hominem tali sapientia ab omnibus animi perturbationibus liberum fieri supraque omnes animi infirmitates extolli; denique hac sapientia sola vitam beatam effici; sed quum difficillimum sit, hominem ad tantum sapientiae fastigium ascendere et plerosque deceat confiteri, se, quamvis studiose ad hanc animi excelsitatem enitantur, tamen conscios sibi esse, se in plena sapientiae possessione non esse, Stoici id sibi arrogabant et sibi quidem solis, omnes alios ab hac sapientia excludentes. Solum Stoicum sapientem statuebant ab omni vitio liberum esse, elatum supra omnes fortunae vicissitudines, omni mollitie animi vacuum, semper beatum et invictum; hunc solum omnia bona habere in se conjuncta. Ita omnibus virtutibus sapientem Stoicum cumulantes, ut animi ejus excelsitatem verbis exprimerent, hac uti solebant formula, solum eum esse beatum, formosum, divitem, regem. Stoici, tali dignitatis suae aestimatione inflati et invictam virtutem et perpetuam severitatem retinere cupientes omni animi commotioni aditum intercludentes a vulgari hominum facilitate remoti neque hilaritati neque comitati quidquam dantes etiam amicitiam atque benevolentiam angustioribus finibus circumscribebant, ne scilicet his animi motibus ducti a vera ratione aberrarent, et quod maximum erat, ipsam misericordiam, in perturbationum animi numero eam habentes, damnabant tanquam perniciosam, tanquam animi infirmitatem. Ita a vulgari consuetudine abhorrentes facile in plurimorum hominum, maxime elegantiorum, urbanitati, humanitati aliquid tribuentium, invidiam incurrebant. Ceterum multi, qui hanc disciplinam profitentes augustam sapientiae speciem prae se ferebant, quum in ipsa vita eam non servarent, ita ut mores eorum non cum sermonibus, quos jactabant, congruerent, irridendi sui facultatem praebuerunt, atque illa ipsa usitata iis formula, sapientem Stoicum solum esse beatum, formosum, divitem, regem, irrisui habita est.

Quae Cicero hoc loco Stoicis in universum objicit vitia, ea in duo possumus genera distribuere, quorum prius positum est in eorum animi acerbitate, a misericordia atque humanitate

aliena, alterum in eorum nimia sui existimatione, quae eadem est arrogantia, conjuncta cum contemtu aliorum. Priori vitiorum genere, quod animi acerbitate continetur, hae comprehenduntur Stoicis tributae sententiae: neminem misericordem esse nisi stultum et levem; in sapientem igitur non cadere misericordiam; gratia sapientem nunquam moveri, nunquam cujusquam delicto ignoscere et maxime quidem eam ob causam, quia omnia peccata paria sint; nulli igitur delicto veniam dandam esse; sapientem non exorari, non placari; inde sequi, ut rogantes aliquid vel supplices aversetur, a se repellat. Ex altero vitiorum genere, quod Stoicis hoc loco exprobratur, nimia sui existimatione, sive arrogantia, conjuncta cum aliorum contemtu, hae emanarunt Stoicorum sententiae: solos sapientes, etiamsi distortissimi sint, esse formosos, si mendacissimi, divites, si servitutem serviant, reges; ceteros, qui sapientes non sint, esse fugitivos, exules, hostes, insanos; sapientem nihil opinari, nullius rei poenitere, nulla in re falli, sententiam nunquam mutare, nunquam irasci; ut uno verbo rem complectamur, sapientem, scilicet Stoicum sapientem, semper ab omni errore, ab omni imbecillitate longe abesse; nunquam eum falli, nunquam peccare; omnem veritatem et plenam et absolutam virtutem in ejus esse potestate.

Ita revera sentiebant Stoici, idque ut demonstremus, afferemus plurimos testes, veteres scriptores. Primum igitur dicamus de eorum inhumanitate. Ex ipsorum Stoicorum mente Cicero ipse plurima disserit, ut jam dixi, paucis annis post habitam hanc orationem, in paradoxis praecipue atque in disputationibus Tusculanis. In Tusculanis saepius dicit, misericordiam non cadere in sapientem, quippe quae adnumeranda sit animi perturbationibus, quae tranquillitatem animi et beatam ejus conditionem tollant; ita misericordiam imbecillitatem esse, quam sapiens procul a se habeat. In libro tertio Tusculanarum disputationum, capite undevicesimo, componit misericordiam cum ira atque invidentia; ira fieri, ut homo alieno malo gaudeat; contra ex alicujus rebus adversis dolere esse misericordiam; eundem autem, qui alicujus rebus adversis doleat, posse etiam dolere ejus rebus secundis; quam esse invidiam; quemadmodum misericordia sit aegritudo ex alterius rebus adversis, sic invidentiam aegritudinem esse ex alterius rebus secundis; in quem cadat misereri, in eundem etiam cadere invidere; non cadere autem in sapientem invidere; ergo ne misereri quidem; quodsi aegre ferre soleret sapiens, futurum esse ut etiam misereri soleat. Paria igitur ponit invidere, irasci, misereri; nihil eorum decere sapientem; omnia haec esse imbecilli animi atque aegritudine affecti. Mirus sane imbecillitatis timor! mira aegritudinis species! De qua re in extrema hujus disquisitionis parte videbimus.

Eadem fere repetit Cicero in libro quarto Tusculanarum disputationum, cap. 7. 8. Refert etiam hic misericordiam inter perturbationes animi et parem eam ponit cum invidentia, aemulatione, lamentatione, sollicitudine, molestia, afflictatione, desperatione. Vocat misericordiam identidem aegritudinem ex miseria alterius injuria laborantis. Cap. 12. misericordes componit cum invidis, malevolis, lividis, timidis ut proclives ad perturbationes animi. Cap. 26. facit aliquem contra dicentem ita: at etiam aemulari utile est, obtrectare, misereri. Ad haec respondet: cur misereare potius quam feras opem, si id facere possis? an sine misericordia liberales esse non possumus? Non enim suscipere ipsi aegritudines propter alios debemus. Cicero igitur non vult liberalitatem animi eo usque extendi, ut in imbecillitatem animi vertat, qualis sit misericordia. Cap. 27. dicit medicinam esse adhibendam miseranti aeque atque lugenti et invidenti. In academ. postrb. c. 10. dicit, Peripateticos perturbationem animi ex homine non sustulisse sed docuisse, natura hunc et condolescere et concupiscere et extimescere et efferri laetitia, quamquam illam perturbationem contraxissent in angustumque deduxissent; Zenonem vero omnibus his quasi morbis voluisse carere

sapientem. Etiam in acad. priorib. c. 43. 44. hanc Zenoni tribuit sententiam: sapientis animum nunquam nec cupiditate moveri nec laetitia efferri; ubi Cicero haec addit: „age, haec probabilia sane sint: num etiam illa? nunquam timere, nunquam dolere? sapiensne non timeat? nec, si patria deleatur, non doleat? Satis durum; sed Zenoni necessarium.“

Etiam Seneca, ut Stoicus, pugnat contra misericordiam, quum clementiam laudet. In secundo de clementia libro c. 4. 5. ita disserit: „ad rem pertinet hoc loco, quid sit misericordia. Plerique enim ut virtutem eam laudant et bonum hominem vocant misericordem. At haec vitium animi est. Vitare debemus, ne per speciem clementiae in misericordiam incidamus. Misericordia est vitium pusilli animi, ad speciem alienorum malorum succidentis. Itaque pessimo cuique familiarissima est. Anus et mulierculae sunt, quae lacrimis nocentissimorum moventur. Scio, male audire apud imperitos sectam Stoicorum tanquam nimis duram. Objicitur enim illi, quod sapientem negat misereri, negat ignoscere. Haec si per se ponantur, invisa sunt: videntur enim nullam spem relinquere humanis erroribus, sed omnia delicta ad poenam deducere. Sed nulla secta benignior leniorque est, nulla amantior hominum et communibus bonis attentior.“ „Misericordia est aegritudo animi ob alienarum miseriarum speciem; aut, tristitia ex alienis malis contracta. Aegritudo autem in sapientem virum non cadit; serena ejus mens est, nec quidquam incidere potest, quod illam obducat. Eandem semper faciem servabit, placidam, inconcussam; quod facere non posset, si tristitiam reciperet.“ In sequentibus Seneca porro pergit plurima disserere de Stoicorum erga alios benivolentia; opem eos ferre laborantibus, et quae alia sunt hujusmodi, sed addit, haec eos non facere misericordia motos. Perstat in eo, misericordiam esse animorum nimis miseriae faventium; misericordiam vicinam esse ipsi miseriae. Sed haec e Senecae libris de misericordia allata sufficiant; sane non bene inter se congruunt; sed etiam de his in sequentibus meam sententiam proponam.

Denique scriptorem Graecum afferam testem, qui idem dicit, fixum et statutum fuisse Stoicis, sapientem non esse misericordem, Diogenem Laërtium. Hic libro septimo, qui de tribus Stoicis, de Zenone, de Cleanthe atque Chrysippo agit (§. 111. et 123.) has sententias Stoicis tribuit: „dolorem esse contractionem animi cum ratione pugnantem; genera autem ejus esse misericordiam, invidiam etc. Stoicos misericordes non esse et nemini ignoscere; non enim remittere eos poenas, quae alicui e lege aliqua conveniant; eos nemini cedere et ipsam misericordiam ab eorum animis alienam esse.“ Ita igitur Zeno sentiebat; sed is, qui sibi interdicit, ne ullo misericordiae sensu moveatur, sine dubio omnino horridus, asper, durus, intractabilis erit; itaque Stoicorum mores inhumanitate, asperitate, admodum insuaves erant, id quod etiam ex iis, quae de Zenonis atque Catonis aliorumque Stoicorum personis traduntur, apparet. Nihil ignoscere, nihil gratiae dare fixum iis erat. (Diog. Laërt. 7, 122. 123.).

Hac de re Cicero ipse haec habet: (Quibus de causis) Stoici horridiores evadunt, asperiores, duriores et oratione et moribus. Quam illorum tristitiam (morositatem) atque asperitatem fugiens Panaetius acerbitatem sententiarum non probavit et fuit mitior. (De finib. b. et m. 4, 28.) Stoici ipsi dicere solebant, omnes virtutis studiosos acerbos et duros esse, quippe qui neque ab aliis exspectent gratiam, ut alii sibi largiantur, quae ipsis placeant, neque ipsi aliquid gratiae concedant aliis. (Diog. Laërt. 7, 117.)

Ceterum ipsius Zenonis persona eodem Diogene Laërtio auctore minime erat amabilis. Judicio ejus adstipulatur Athenaeus. Uterque de ejus moribus consentiunt; dicunt eum in alios non solum severum, verum etiam acerbum fuisse, durum, molestum, morosum, contracta plerum-

que fronte, pronum ad alios irridendos, ipsis liberalibus artibus inimicum, denique ita praefractum hominem, ut omnia ad continendam hominum societatem inventa instituta, templa, sacra, judicia, tanquam inutilia improbaret, omnes, qui non essent philosophi Stoici, inimicos inter se ipsos, hostes, servos, declararet; sic etiam parentes et liberos, fratres, omnes sanguine inter se conjunctos inimicos inter se eum declarasse et hostes, quippe qui (vel potius: qui quidem) non essent sapientes Stoici; denique etiam in servos eum ceterosque Stoicos saevissimos fuisse dominos, et in proverbium abiisse saevitiam heri Stoici. (Diog. Laërt. 7, 13. 16. 26. 31. 32. Athenaeus ed. Dindorf., 2, 55, f. 4, 164, f.). Quaenam igitur amica in alios voluntas esse potuit Zenoni et sectatoribus ejus, qui pleraque ex parte ejus similes erant, quum omnes alios homines contemnerent ut stultos, hostes, servos?

Non parum momenti ad praeposteram illam Stoicorum de rebus humanis judicandi rationem et ad augendam eorum inhumanitatem habebat etiam altera eorum sententia, qua docebant, omnia peccata paria esse, id est, aeque damnanda, nullum agnoscentes gradum, nullum levioris vel gravioris peccati discrimen. Verba Ciceronis in nostra oratione inter cetera Stoicorum absurda etiam hanc sententiam risui offerentia, haec sunt: omnia peccata paria esse, omne delictum scelus esse nefarium, nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, quum opus non fuerit, quam eum, qui patrem suffocaverit (§. 61.). „Fatetur aliquis, se peccasse et ejus delicti veniam petit; nefarium est facinus ignoscere.“ „„At leve delictum est.““ „Omnia peccata sunt paria.“ (§. 62.). Opponitur Academicorum et Peripateticorum sententia, distincta genera esse delictorum et dispares poenas (§. 63.).

Primum nunc videamus, re vera ita docuisse Stoicos, peccata omnia paria esse, subjunctis causis, cur ita docuerint, deinde eorum hac in re errorem demonstremus.

Cicero in eo paradoxorum capite, quod inscripsit, aequalia esse peccata et recte facta (parad. III.), haec docet: „parva, inquit, res est! (alloquitur eum, qui, quum peccavit, parvo se peccati sui momento consolatur), parva igitur res est!“ „„at magna culpa! nec enim peccata rerum eventu sed vitiis hominum metienda sunt. In quo peccatur, id potest aliud alio majus esse aut minus; ipsum quidem illud peccare, quoquo verteris, unum est. Auri navem evertat gubernator, an paleae, in re aliquantulum, in gubernatoris inscientia nihil interest. Lapsa est libido in muliere ignota; dolor ad pauciores pertinet, quam si petulans fuisset in alia generosa ac nobili virgine; peccavit vero nihilo minus, siquidem est peccare tanquam transilire lineas; quod quum feceris, culpa commissa est; quam longe progrediare, quum semel transieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet. Peccare certe licet nemini. Quod autem non licet, id hoc uno tenetur, si arguitur, non licere. Id si nec majus nec minus unquam fieri potest, quoniam in eo est peccatum, si non licuit; quod semper unum et idem est, quae ex eo peccata nascuntur, aequalia sint oportet.““

In iis, quae sequuntur (§. 2.), haec leguntur: „quae vis enim est, quae magis arceat homines ab improbitate omni, quam si senserint, nullum in delictis esse discrimen; aeque peccare se, si privatis, ac si magistratibus manus afferant; quamcunque in domum stuprum intulerunt, eandem esse labem libidinis?“ „„Nihilne igitur interest, nam hoc dicet aliquis, — patrem quis enecet an servum?““ „Nuda ista si ponas, judicari, qualia sint, non facile possunt. Patrem vita privare, si per se scelus est, Saguntini, qui parentes suos liberos emori, quam servos vivere, maluerunt, parricidae fuerunt. Ergo et parenti nonnunquam adimi vita sine scelere potest, et servo saepe sine injuria non potest. Causa igitur haec, non natura distinguit. Quantum cuique liceat,

spectare debemus. Quidquid non oportet, scelus esse, quidquid non licet, nefas putare debemus.“ „„Etiamne in minimis rebus?““ „Etiam.“ Antea etiam hac conclusione usus erat Cicero (§. 1.): „Quodsi virtutes pares sunt inter se, paria esse etiam vitia necesse est; atqui pares esse virtutes, nec bono viro meliorem, nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorem, nec sapiente sapientiorem posse fieri, facillime potest perspici. Postea ita concludit: sequitur igitur, ut etiam vitia sint paria.“ Sed aliter judicavit in libr. III. de oratore, c. 14. ita: „quamquam sunt omnes virtutes aequales et pares, sed specie tamen est alia magis aliâ formosa et illustris.“ — Sed quanto jure illa de aequabilitate virtutum atque vitiorum statuat Cicero, postea videbimus; hic id tantum volumus ratum habere, eum identidem Stoicis hanc sententiam tribuisse. Deinde alii loci sunt apud Ciceronem de aequalitate peccatorum, sed tales, in quibus contra Stoicos disputat. In libro quarto de finib. c. 27. 28. haec leguntur: „omnia peccata paria dicitis; quonam modo? quia nec honesto quidquam honestius, nec turpi turpius. Perge porro; nam de isto magna dissensio est. Illa argumenta propria videamus, cur omnia peccata sint paria. Ut, inquit (Zeno), in fidibus pluribus, si nulla earum ita contenta numeris sit, ut concentum servare possit, omnes aeque incontentae sint, sic peccata, quia discrepant, aeque discrepant; paria sunt igitur. Hic ambiguo ludimur. Aeque enim contingit omnibus fidibus, ut incontentae sint; illud non continuo, ut aeque incontentae. Collatio igitur ista te nihil juvat. Nec enim omnes avaritias si aeque avaritias esse dixerimus, sequetur, etiam ut aequas esse dicamus. Ecce aliud simile dissimile. Ut enim, inquit, gubernator aeque peccat, si palearum navem evertit, et si auri; item aeque peccat, qui parentem et qui servum injuria verberat. Hoc non videre, cujus generis onus navis vehat, id ad gubernatoris artem nihil pertinere! itaque, aurum paleamve portet, ad bene aut ad male gubernandum nihil interesse. At quid inter parentem et servulum intersit, intelligi et potest et debet. Ergo in gubernando nihil, in officio plurimum interest, quo in genere peccetur. Et si in ipsa gubernatione negligentiâ est navis eversa; majus est peccatum in auro quam in palea. Omnibus enim artibus volumus attributum esse eam, quae communis appellatur prudentia; quam omnes, qui cuique artificio praesunt, debent habere. (c. 28.) Ita ne hoc modo paria quidem peccata sunt. Urgent tamen et nihil remittunt. Quoniam, inquiunt, omne peccatum imbecillitatis et inconstantiae est, haec autem vitia in omnibus stultis aeque magna sunt; necesse est, paria esse peccata. Quasi vero aut concedatur, in omnibus stultis aeque magna esse vitia, et eadem imbecillitate et inconstantia L. Tubulum fuisse, qua illum, cujus is condemnatus est rogatione, P. Scaevolam; (L. Tubulus praetor, quaesitor inter sicarios, pecunia corrumpi se passus est et eam ob causam damnatus; etiam in ceteris omnibus homo nefarius erat; P. Scaevola suum de Tib. Graccho judicium in meliorem partem, optimatibus gratam, mutavit) et quasi nihil inter res quoque ipsas, in quibus peccatur, intersit; ut, quo hae majores minoresve sint, eo, quae peccentur in his rebus, aut majora sint aut majora! Verba tenent mordicus. Quae dum sibi evelli nolunt, horridiores evadunt, asperiores, duriores et oratione et moribus.“ Eodem libro cap. 19. ita Cicero judicat: „„recte facta omnia aequalia; omnia peccata paria.““ „Quae quum magnifice primo dici viderentur, considerata minus probabantur. Sensus enim cujusque et natura rerum atque ipsa veritas clamat quodammodo, non posse adduci, ut inter eas res, quas Zeno exaequaret, nihil interesset.“ (Cf. Acad. prior. c. 43.)

Sed videamus etiam alios auctores. Notissimus locus est Horatii (Satir. 1, 3.), hanc mirabilem Stoicorum sententiam eaque, quae inde sequuntur, facetissime ridentis; qui locus inde a v. 66. usque ad finem, (v. 142.) pertinet. Nos hic hos tantum versus (v. 115. sq.) apponemus:

„Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque,
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus Divûm sacra legerit. Adsit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas,
Ne scutica dignum horribili sectere flagello.
Nam ut ferula cædas meritum majora subire
Verbera, non vereor, cum dicas, esse pares res,
Furta latrociniis et magnis parva mineris
Falce recisurum simili te, si tibi regnum
Permittant homines.“

Accuratius inspiciamus hunc locum. Horatius Stoicos hic ridet ex sensu nobilium Romanorum illius aetatis, qui dulcedine vitae delicatae nihil potius habebant, et quibus nimia Stoicorum severitas odio erat. Nexus rerum hic est. Horatius postquam in iis, quae antecedunt, pessimam multorum hominum consuetudinem, aliorum vitia vel levissima praeter modum graviter ferendi et acerbissime perstringendi, vel etiam virtutes in malam partem interpretandi, vituperavit, contra monet, melius esse, mitem se praebere aliis, maxime amicis, eorumque vitiis connivere, praesertim si ipse similium vitiorum expers non sis. Quum nemo omni vitio careat, Horatius inquit, is nobis pro optimo sit, qui minimis obnoxius est; iniquam legem in nosmet ipsos statuimus, si aliis nos severos praebemus (v. 67—69.). Aequum est, peccatis veniam dare, si ea tibi ipsi opus est (v. 75.). Deinde „aequis ponderibus modulisque“ par est vitia aestimare (v. 78.); insanus is est, qui servum, qui, „patinam tollere jussus, semesos pisces tepidumque ligurrierit jus, in cruce suffigat, quod vel furiosius atque majus peccatum est“ (v. 78—84.). Iniquum est, si amicus paulum deliquerit, eum odisse et fugere; qui nulla in re, neque in minoribus delictis amico ignoscit, is recte insuavis et acerbus habetur, (v. 84—94.) Quid? si in majoribus peccaverit? (v. 95.) Nam quibus paria esse peccata placet, ii vehementer laborant, „quum ventum est ad verum; sensus moresque repugnant.“ (v. 96. 97.) Ipsa utilitas justi mater est et aequi (v. 98.). Homines recentes ab ortu suo et primo prorsus rudes et inculti nihil aliud agitabant, quam ut vi et armis in se ipsos uterentur (v. 99—102.); deinde paulatim leges invenire inque societates coire coeperunt, ut maleficia coërcerent, quae plurimum damni hominum societati afferrent (v. 104.). Non natura iniquum a justo secernitur, sed utilitate. (v. 113.) Deinde ita pergit (v. 115.):

„Nec vincet ratio hoc, etc.“

Bonum igitur aut damnum, quod aliquo facto efficiatur, Horatius vult spectari in judicio de eo ferendo, eamque ob causam Stoicos vituperat eorumque de paribus peccatis sententiam. Etiam in sequentibus alias eorum opiniones affert et carpit et nominatim Chrysippum, alterum secundum Zenonem eorum choragum, ludibrio habet. Videmus, sanam Horatii mentem multo rectius de rebus judicare, quam eos sapientes, qui soli sibi sapientes videbantur.

De aequalitate peccatorum quomodo senserint Stoici, denique locus Diogenis Laërtii nos docet, qui legitur §. 120. libri VII. „Placet iis (Stoicis), paria aestimare peccata, ut dicit Chrysippus in quarto libro quaestionum moralium, et Persaeus et Zeno; sicuti vero alio aliud verius esse non possit, neque mendacium aliud alio mendacius, neque fraus fraude fraudulentior, sic etiam omnino peccatum aliud alio pejus esse non posse, atque sicuti is, qui centum stadiis absit a Canopo (urbe Aegypti) et qui uno, aeque non sit Canopi, sic etiam eum, qui in re majori et eum, qui in re minori peccet, aeque in vitio esse.“

In his, quae hactenus attuli, etiam causae continentur, cur ita docuerint Stoici; voluerunt dicere, omnium peccatorum sive majorum, sive minorum, unam eandemque naturam et rationem esse; in omnibus aberrari a recto; deinde existimabant, facillime se etiam a minoribus deterrere posse

peccatis, si omnia peccata paria esse statuerent. Contra Horatius docet, varios esse gradus damni, quod is, qui peccat, aliis inferat; eam ob causam etiam poenam eorum variam esse oportere. Ad idem etiam ea redeunt, quae Cicero de hac re disputat contra Stoicos; majorem esse levitatem ejus gubernatoris, qui per negligentiam navem auro plenam, quam qui palea, evertat. Equidem variam et diversam peccatorum naturam ita dijudicarim: Sane par est natura ipsa peccatorum, si universam peccati notionem respicias. Est aliquid omnibus peccatis commune. Omne peccatum, sive majus est, sive minus, secessio est a recta ratione; sed etiam differunt peccata, nempe gradu et modo, et ad hanc eorum differentiam vel maxime in vita respiciendum est. Sane in omnibus rebus, in corporum natura aeque atque in animorum vel virtutibus vel vitiis varius est modus et gradus. Virtutis, quam quis assecutus est, major vel minor esse potest praestantia, atque simili modo vitii, quo quis laborat, major vel minor turpitudo. Sicuti in artibus in alio artifice major in alio minor artis perfectio esse potest, sic etiam laus virtutis in alio major, in alio minor. Idem discrimen cadit in vitia et male facta, atque ut fieri solet, ut hominum clarorum egregia facta majorem vel minorem admirationem apud alios moveant, sic etiam hominum male facta plus vel minus atrocitatis habent. Aestimatio virtutum atque vitiorum, deinde etiam bene aut male factorum, ex illis virtutibus vel vitiis ortorum, ex ejus consilii ratione et modo pendere debet, quod quis in agendo secutus est. Volumus agendo efficere aliquid; ex hujus finis, in quem tenditur, ratione actio aestimanda erit. Volumus exempli causa aut prodesse aut nocere aliis; quo igitur majus illud erit, quo prodesse aliis volumus, eo majus meritum nostrum erit; contra, quo majus damnum illud erit, quod aliis inferre volumus, eo major erit culpa nostra. Deinde etiam ex modo virium, quibus ad aliquid perficiendum opus est, magnitudo vel laudis vel reprehensionis metienda est. Major laus debetur ei, qui majori virium contentione usus est in re bona perficienda, quam ei, qui leviori opera aliquid boni perfecit. Sic etiam majus odium concitat atrox facinus, quod vehementiori animi studio et impetu perfectum est, quam illud male factum, quod quis per levitatem animi commisit. Sed maxime, ut dixi, ex varia eorum consiliorum, quae persequimur agendo, natura et ratione aestimatio factorum pendet, et, quidquid agimus, e consilii ratione factum omne metiendum est. Itaque peccata alia aliis vel majora vel minora sunt pro varia damni ratione, quod quis perficere voluit. Gradus gitur discrimen cadit etiam in peccata.

Sed paria inter se esse omnia peccata, Stoici censebant. Quantum incommodi ex tam perversa sententia iis natum sit et in ipsorum moribus et in aliorum de iis existimatione, facile appareret. Ubicunque aliquid delictum animadverterent, acerbissime de eo judicabant; etiam si minus illud esset, aequale id maximo flagitio existimabant. Rectum et aequum in aliorum hominum moribus et factis judicandis in hominibus a communi sensu et recta ratione tam longe aberrantibus consistere nullo modo potuit. In plurimis sane levius peccat pleraque pars hominum; quum igitur pari in omnia, etiam leviora, peccata exardescimus ira, acerbiores adversus alios erimus, quam par est. Animus hominis sane natura sua ita comparatus est, ut male facta indigne ferat; sed ortam ex aliorum vitiis indignationem, quae usque ad iram procedere potest, temperemus necesse est, nisi nimis acres, nimis acerbi aliorum judices videri eoque aliorum in nos ipsos odium excitare volumus, id quod Stoicis accidit. Male enim apud ceteros homines audiebant propter nimiam suam in judicando acerbitatem (Cf. pag. 10.). Hinc etiam factum est, ut alii eos ipsos vel odio haberent vel certe irriderent et ipsorum mores acrius observantes, quum aliquid vitiosi in iis appareret, eo acrius eos vituperarent. Hunc sensum etiam Horatii locus supra allatus habet. Transeamus jam ad alterum Stoicorum vitium a Cicerone notatum, ad eorum arrogantiam.

Plurimas virtutes suas jactabant, sed ea palmaria eorum jactatio erat, quod affirmabant, se non irasci; iram in sapientem, in se, nihil valere. Quod si verum fuisset, sane ejusmodi erat, quod maxime eos non minus in vulgus quam apud doctos commendaret; sed ex omnibus, quae nobis de Stoicis tradita sunt, apparet, nullum philosophorum genus ad iram magis pronum fuisse quam Stoicos, id quod etiam ex Zenonis atque Catonis moribus, quam accuratissime perponderatis, apparet. Sed pertinaciter damnaverunt Stoici iram; cujus rei testes aliquot adhibebo. Plurimi sunt in damnanda ira Cicero, (Tusc. III., 9. 10. IV., 22. 36. 37.) et Seneca in singulari de ira inscripto libro; accedat ipse Zeno e Diogenis Laërtii ore (7, 113.). Quis non improbabit iram? Sed non veri simile est, Stoicos irae non indulsisse. Nam consentiens plurimorum testium vox est, Stoicos, in primis vero Zenonem, principem eorum atque auctorem, deinde etiam Catonem nostrum, ad iram propensiores fuisse, quam decebat. Atque sane fieri non potuit, quin ii, qui misericordiam, dolorem ex malo alterius ortum, hunc cum humanitate et benivolentia conjunctissimum dolorem, ferre non poterant, sed procul a se habere cupiebant, etiam dolorem ex suo ipsorum incommodo ortum procul habere vellent, unde ira et ulciscendi cupiditas nascitur. Qui misericordiam nolunt, irae succumbant necesse est. Mali ab alio sibi illati impatientes hunc punire, ulcisci, Stoici non dubitabant, idque eo facilius, quia statutum apud se habebant, puniendum esse, ex lege agendum esse, misericordem esse non decere.

Sed omnis omnino virtutis se jactabant exemplaria Stoici, eamque ob causam dictitabant, se nullo animi affectu commoveri, se nunquam peccare, nunquam in errorem incidere, itaque sibi non opus esse poenitere, neque sententiam mutare; se non solum nulla in re falli, sed omnino non opinari, sed certo scire. Divinos igitur se esse jactabant, divinumque aliquid sibi inesse (Diog. Laërt. 7., 119. 121.). Quid arrogantius dici potest? idque in tantis vitiis, tantis erroribus? Melioribus sane inter Stoicos id concedendum est, maximum eos in eo collocasse studium, ut prae ceteris hominibus immota animi gravitate atque constantia, sententiarum suarum veritate, morum integritate praestarent. Sed multis eorum ex eodem studio vanitas quaedam orta est, praemium inde petentibus id, ut omnibus aliis meliores haberi vellent, soli boni, soli beati. Alios contemnebant. Inde apud eos ortae sunt locutiones ad eum sapientem, quem ipsi apud animum suum statuerent, pertinentes eae, quas Cicero loco nostro perstringit facetissime, quum dicerent, sapientem, nempe Stoicum sapientem, solum esse formosum, solum liberum, divitem, regem, alios servos, peregrinos, exules, insanos, furiosos. Scilicet ipsi dictitabant, se omni culpa vacare, negabant, se in peccatum incidere posse. Fieri non potuit, quin Stoicorum de singulari sua praestantia existimatio plerisque odiosa esset. Sed revera eos ita sensisse, eamque ob causam ipsos ludibrio habitos esse, locos ad id demonstrandum aptos afferam. Ut taceam de Diogene Laërtio, qui has sententias et vocabula ab ipsis sibi indita commemorat (7., 122.), Cicero ipse plurimis locis idem testatur, eos hanc ob causam modo irridens modo vera eos statuere affirmans. Illud facit in quaestionibus academicis atque in libris de finibus bonorum atque malorum, hoc in paradoxis. In quaestionibus academicis prioribus ita quaerit (cap. 44.): „dicerentne unquam Academici sapientes solos reges? solos divites? solos formosos? omnia, quae ubivis essent, sapientis esse? neminem consulem, praetorem, imperatorem, nescio an ne quinquevirum quidem quemquam nisi sapientem; postremo hunc solum civem, solum liberum, insipientes omnes peregrinos, exules, servos, furiosos?“ Idem (de fin. 4., 27.) haec habet: „ex iisdem verborum praestigiis (alloquitur Catonem eique exprobrat solitas Stoicorum spinosas et nimis artificiosas conclusiones, laqueos Stoicorum,) et regna vobis nata sunt et imperia et divitiae et tantae quidem, ut omnes, quae ubique sint, sapientis esse dicatis; solum praeterea formo-

sum, solum liberum, solum civem; stultos omnia contraria; quos etiam insanos vultis.“ De finib. 4, 19. e Stoicorum sententia omnes sapientes summe beati dicuntur. In priorib. Acad. (c. 47.) haec leguntur: „expromam primum illa invidiosa, quod eos omnes, qui in concione stabunt, exules, servos, insanos esse dicitis.“

Quum talia Stoicorum dicta Cicero in quaestionibus academicis atque in libris de finibus irrideat, serio atque satis copiose eadem tractat in paradoxis, quorum capita tria, quartum, quintum et sextum ita inscripsit: „omnem stultum insanire,“ „solum sapientem esse liberum et omnem stultum servum“, „solum sapientem esse divitem“; nempe in paradoxis disserit e mente Stoicorum. Et veri aliquid his subesse negari nequit, ut Catonem (de fin. 3, 22.) ita disputantem facit: „rectius sapiens appellabitur rex, quam Tarquinius, qui nec se nec suos regere potuit; rectius magister populi, quam Sulla, rectius dives, quam Crassus, qui nisi eguisset, nunquam Euphratem nulla belli causa transire voluisset, recte etiam pulcher, recte solus liber, solus invictus.“ Quis neget, eum, qui animi perturbationibus obnoxius est, durissimam servitutem servire, contra, qui earum immunis est, eum vere liberum, vere divitem esse; sed sapientem non decet, nimis gloriari sua virtute, ipsum se efferre et jactare, alios parvi habere. Hinc in odium atque risum incurrebant Stoici, in quos jam vetus satirarum poeta, Lucilius, (Schol. ad Horat. epist. 1, 1', 106) haec jaculatus est:

„haec omnia habebit;
Formosus, dives, liber, rex solu' vocetur.“

Ridet eos more suo Horatius loco modo allato, ita:

„Ad summam sapiens uno minor est Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,
Praecipue sanus, nisi quum pituita molesta est.“

Loco illo, quem supra attulimus, quo Horatius Stoicis vitio vertit, quod omnia vitia paria existiment, (sat. 1, 3, 96. sq.) etiam hanc iis tribuit sententiam, ipsos se ad omnia negotia aptissimos judicasse; se omnia optime facere posse; ibi ita eos cavillatur (v. 124—136.):

„Si dives, qui sapiens est,
Et sutor bonus et solus formosus et est rex;
Cur optas, quod habes“? (ut regnum sibi permittant homines)
„Non nosti, quid pater, inquit,
Chrysippus, dicat; sapiens crepidas sibi nunquam
Nec soleas fecit; sutor tamen est sapiens.“ „„Quo?““
„Ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus est modulator; ut Alfenus vafer, omni
Abjecto instrumento artis, clausaque taberna,
Sutor erat; sapiens operis sic optimus omnis
Est opifex solus; sic rex.“ Vellunt tibi barbam
Lascivi pueri; quos tu nisi fuste coërces,
Urgueris turba circum te stante, miserque
Rumperis et latras, magnorum maxime regum.“

Eandem sententiam Stoicis etiam Diog. Laërt. (7, 122) atque Athenaeus (4, 158. a. b.) tribuunt, se ad omnia negotia aptissimos esse.

Ipse Seneca saepe magis, quam decet, in sapientia sua et animi magnitudine, qua philosophia sapientem exornet, laudibus efferenda gloriatur, ita ut sapientem supra omnes ceteros mortales extollens majora quam pro homine de sapiente Stoico statuere audeat et in vanam ostenta-

tionem et magniloquentiam et verborum tumorem incurrat. Sic (in epist. 53. §§. 11. 12.) „Totam, inquit, huc (ad philosophiam) converte mentem, huic asside, hanc cole; ingens intervallum inter te et ceteros fiat. Omnes mortales multo antecedes, non multo te dii antecedent. Quid inter te et illos interfuturum sit, quaeris? diutius erunt. At, mehercule, magni artificis est, clausisse totum in exiguo.“ Hoc vero est, arrogantem esse; haec vera impietas est. Etiam apud Senecam videmus Deorum verecundiam ad nihilum redactam. Pergit ita: „Tantum sapienti sua, quantum Deo omnis aetas patet. Est aliquid, quo sapiens antecedat deum; ille naturae suae beneficio non timet, suo sapiens; ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, securitatem dei.“ Idem (de constantia sapientis, 8, 2.) ita disputat: non potest quisquam aut nocere sapienti aut prodesse; quemadmodum divina nec juvari desiderant nec laedi possunt. Sapiens autem vicinus proximusque Diis consistit, excepta mortalitate similis Deo.“ Dixit etiam alio loco Seneca, in eo hominem sapientem Diis ipsis superiorem esse, quod hi cum adversa fortuna conflictari non possint, sapiens possit atque ex hac contentione victor evadere. Atque ejusmodi satis multa apud Senecam inveniuntur, ubi magnitudinem sapientis nimis inflatis verbis extollit, fragilitatis et debilitatis naturae humanae prorsus oblitus.

Ad extremum de Stoicorum moribus locum Ciceronis afferam, qui intimam hujus mentem nobis ostendit docetque, quomodo de Stoicis senserit (de orat. 3, 18.): „Stoicos autem, quos minime improbo, (cum lepida simulatione atque irrisione hoc interjectum est), dimitto tamen, nec eos iratos vereor, quoniam omnino irasci nesciunt; atque hanc iis habeo gratiam, quod soli ex omnibus eloquentiam virtutem ac sapientiam dixerunt; sed ab hoc, quem instruimus, oratore valde abhorrent (pauca immutavi, ad rem nihil pertinentia); vel quod omnes, qui sapientes non sint, servos, latrones, hostes, insanos esse dicunt; neque tamen quemquam esse sapientem. Valde autem est absurdum, ei concionem aut senatum, aut ullum coetum hominum committere, cui nemo eorum, qui adsint, sanus, nemo civis, nemo liber esse videatur. Accedit, quod orationis etiam genus habent fortasse subtile et certe acutum, sed ut in oratore exile, inusitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obscurum, inane, jejunum ac totum ejusmodi, quo uti ad vulgus nullo modo possit. Alia enim et bona et mala videntur Stoicis ac ceteris civibus, vel potius gentibus; alia vis honoris, ignominiae, praemii, supplicii; vere an secus, nihil ad hoc tempus; sed ea si sequamur, nullam unquam rem dicendo expedire possimus.“

Apertius Cicero loqui non potuit. Videmus igitur intimi animi ejus sensum, quo declarat, Stoicorum disciplinam ab omni humanitate prorsus abhorrere, ad communem vitam eam inutilem esse. Haec sufficient de moribus eorum. Apparet, eos plus sibi tribuisse, quam decet; nimia sui existimatione inflatos nimios eos sibi sumsisse spiritus atque hanc etiam ob causam in alios asperos, inhumanos fuisse.

Restat, ut de Catonis persona dicamus.

Cap. IV. Censura Catonis.

Sine dubio Cato homo probus atque fortis erat, patriae amans virtutisque, strenuus, laborum patiens, ad pericula intrepidus, sed ut virtutibus, sic etiam morum asperitate ab usitata ratione prorsus aliena homo plane singularis et plane talis, qualem eum Cicero in nostra oratione descripsit, perfectus Stoicus, ut eum Cicero in paradoxorum praefatione appellat. Rigida quaedam in eo erat et dura virtus, non condita lenitate neque ulla morum suavitate. Cato, quum aliorum pravitati obsistere vellet, et ipse in vitium incidit; saepe erat contumax, ferox, suspiciosus, alio-

rum iniquitatis aut pravitatis nimis acer et acerbus insectator ita, ut apud plurimos offenderet atque in magnam invidiam incurreret. Fortasse nimia ejus acrimonia nonnunquam etiam nimiis vini haustibus vehementius incitabatur; nam, quod sileri nequit, vino nonnunquam saltem aequo plus indulgebat. Hoc nomine multi eum accusabant, neque Cicero eos prorsus refellebat, sed alia ex parte Catonem excusabat. Cuidam id Catoni exprobranti, quod noctibus potaret, id vero, respondit, praetermittis, diebus eum aleae se committere, id est, periculis in republica defendenda subeundis (Plut. vit. Cat. c. 6.). Quod Horatius habet, „vel prisci Catonis virtutem saepe caluisse mero," (Od. III, 21, 11. 12.) sine dubio ad Catonem Majorem spectat, ad quem locum etiam rorantia pocula Ciceronis conferri possunt (de senect. c. 15.). Neque Plinius (ep. III, 12.) atque etiam ne Seneca quidem (de tranquill. an. 15, 11. 15.) Catonem nostrum de nimio vini usu purgatum volunt, sed ob ceteram animi magnitudinem atque integritatem hoc ejus vitium emolliunt.

Seneca dicit, eum vino solitum esse laxare animum, curis publicis fatigatum. Ceterum sine dubio non adeo ille vino deditus erat, ut ebriosus vel vinolentus dici potuerit, neque ut vinum virtutis vires in eo eliserit; plerumque vino inter disserendum cum philosophis utebatur; in quo nonnunquam fieri potuit, ut laberetur, ut ipse Zeno. (Diog. Laërt. 7, 26. Athen. 2, 55. f.).

Plutarchus Catonem multo plus laudat quam vituperat; sed id silentio non praetermittit, eum, quum in amicos benevolus esset, adversus alios difficilem atque durum, deinde ad iram pronum fuisse, et saepius subito vehementer ejus facibus excanduisse, denique eum a plerisque durum atque intractabilem habitum fuisse et abruptae contumaciae. Vellejus, paene omnium laudator et in efferendis hominum virtutibus plerumque nimius, ita de ejus moribus exponit (2, 35.): „Ille senatus dies (quo de poena, qua in conjuratos, Catilinae socios, animadvertendum esset, deliberatum est), virtutem Catonis, jam multis in rebus conspicuam atque praenitentem, altissime illuminavit. Hic homo Virtuti simillimus, et per omnia Diis quam hominibus proprior, qui nunquam recte fecit, ut facere videretur, sed quia aliter facere non poterat, cuique id solum visum est, rationem habere, quod haberet justitiam, omnibus humanis vitiis immunis, semper fortunam in sua potestate habuit."

Cato sane ad optima quaeque tendebat, sed talis, qualem hic laudator eum facit, non fuit, non solum non immunis omnium humanorum vitiorum, sed magnis obnoxius, pertinaciae, iracundiae, malevolentiae, ceterum hominum, quibuscum vivebat, et temporis, quo aetatem degebat, prorsus ignarus. Alta quaedam virtutis species animo ejus obversabatur, sed recte eam rebus accommodare nesciebat. Cicero atque Caesar rectissime eum aestimabant, ille laudes reprehensionibus temperans, sed in scriptis publice editis magis laudans quam vituperans, hic adversarium suum magis vituperans, sed tamen sine dubio magni aestimans, quum eum servatum vellet et mortem ejus doleret. Cicero saepe aegre ferebat, quod Cato ita in senatu vel in concione populi diceret itaque se gereret, ac si in Platonis republica viveret (Plut. Phoc. c. 3.); Caesar ita statuebat, eum hominem fuisse, quem natura aliusmodi finxisset, atque omnes (alios). (Fragm. Caes. in Anticatone.) Ceterum hujus libri Caesaris mentione facta, cuivis legenti ea cogitatio nascetur, maximam jacturam fecisse temporum illorum memoriam eo, quod Caesaris Anticato interiit, in quo libro non solum vitia Catonis exposita erant, sed in quo sine dubio Caesar etiam de sua agendi ratione accuratius disseruit, ut se contra priscae reipublicae defensores purgaret. Cicero in praefatione ad paradoxa ita de eo judicat: Cato, perfectus Stoicus, ea sensit, quae non sane probantur in vulgus. Antea dixerat, Catonem solitum esse in senatu locos graves ex philosophia tractare, abhorrentes ab usu forensi et publico. Sed Cicero, etsi ejus mores vehementer a moribus Catonis

discreparent, (nam Cicero humanitati atque morum suavitati gratiaeque et aliorum voluntati plus dabat, quam par erat, quum Cato his rebus nihil daret; atque etiam amicitia, qua Cicero cum Catone conjungebatur, non omni vicissitudine et fluctuatione carebat) (Ep. ad Attic. 1, 10. 3, 15. ad div. 1, 5. ad Q. fratrem 1, 3. Plut. Cat. cp. 40.); Cicero igitur nihilominus Catonem diligebat, primum, quod maximum erat, propter consiliorum affinitatem, quia Cato aeque atque Cicero ipse a majoribus traditam reipublicae formam servare cupiebat, eamque contra Caesarem ejusque factionem defendebat, deinde quia omnino virtutis amans erat, et, si summam rei spectes, integerrimis moribus, denique, quia philosophiae studio sicuti Cicero ipse flagrabat, etsi alii disciplinae addictus. Plurimas ei Cicero laudes tribuit in oratione pro Sextio, cap. 28., multisque aliis locis, maximas etiam sine dubio in singulari illo de Catone libro, qui interiit, qui laudatio quaedam funebris ejus erat, cui Caesar Anticatonem suum opposuit.

Ut hunc de Catonis persona locum concludam, Sallustii de eo sententiam afferam, quae est in celebratissima illa Catonis cum Caesare comparatione (bell. Catil. cap. 53. 54.): „Sed memoria mea ingenti virtute, diversis moribus fuere viri duo, M. Cato et C. Caesar; quos quoniam res obtulerat, silentio praeterire non fuit consilium; quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio possem, aperirem. Igitur his genus, aetas, eloquentia paene aequalia fuere, magnitudo animi par, item gloria; sed alia alii. Caesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur, integritate vitae Cato. Ille mansuetudine et misericordia clarus factus, huic severitas dignitatem addiderat. Caesar dando, sublevando, ignoscendo, Cato nihil largiundo gloriam adeptus est. In altero miseris perfugium erat, in altero malis pernicies; illius facilitas, hujus constantia laudabatur. Postremo Caesar in animum induxerat laborare, vigilare, negotiis amicorum intentus, sua neglegere; nihil denegare, quod dono dignum esset; sibi magnum imperium, exercitum, novum bellum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. At Catoni studium modestiae, decoris, sed maxume severitatis erat. Non divitiis cum divite, neque factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat; esse quam videri bonus malebat; ita, quo minus gloriam petebat, eo magis sequebatur.“ Addo aliquot locos ejus orationis, quam Sallustius Catoni tribuit, de poena conjuratis irroganda suam sententiam expromenti (cap. 52.), quae certe ad veritatem expressa est. In ea satis multa acerbitatem eam declarant, qua nobilium ille mores perstringere solebat. Vehementer ibi in eorum luxuriam atque avaritiam, ignaviam atque publicae salutis negligentiam invehitur. Quum plurimi senatorum Caesaris sententiam secuti mitius animadvertendum in conjuratos censuissent, Cato, ita eos alloquitur: „Vos ego adpello, per deos immortales, qui semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris quam rempublicam fecistis, si ista, cujuscunque modi sint, quae amplexamini, retinere, si voluptatibus vestris otium praebere voltis, expergiscimini aliquando et capessite rempublicam.“ Postea ita pergit: „Saepenumero multa verba in hoc ordine feci; saepe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum, multosque mortales ea causa adversos habeo; qui mihi atque animo meo nullius unquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam.“ Deinde: „hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat. Jam pridem nos vera rerum vocabula amisimus, quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur.“ Postea ita pergit: „majoribus nostris multa fuerunt, quae illos magnos fecere, quae nobis nulla sunt: domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto neque lubidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam, publice egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos discrimen nullum; omnia virtutis praemia ambitio possi-

det. Neque mirum; ubi vos separatim quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniae aut gratiae servitis, eo fit, ut impetus ab hostibus ejus fiat in vacuam rempublicam.

Videmus in his animum Catonis aequalium moribus infensum, omnia in iis improbantem; atque ipse fatetur, se aliorum delictis gratiam facere non solere. Sed tamen hac ipsa in re Cato in falso deprehenditur, neque prorsus sibi constabat. Nam quum Murenam ambitus accusaret, existimans, eum legis de ambitu fines migrasse, Silano, sororis suae marito, quem idem fecisse probe sciret, teste Plutarcho (Vita Cat. Min. cap. 21.), pepercit, affinitatis ratione habita. Concinit hoc cum illo Ciceronis de inconstantia Catonis judicio, quum ei objiceret, eum in petendo magistratu homines inferioris ordinis salutantem, prensantem, suis ipsum rationibus non constare. Patet igitur, omnia haec, quae de Catone attulimus, cum Ciceronis de eo judicio consentire et hunc in oratione nostra pro Murena habita prorsus recte de Catonis moribus disputasse.

Ceterum quod Plutarchus nobis tradidit (Vit. Cat. cap. 21.), Catonem, quum Ciceronem in judicio ita de se dicentem audiret, ad eos, qui circa sedebant, conversum dixisse: quam ridiculum, amici, consulem habemus! si quaeritur, quid de hoc ejus dicto judicandum esse videatur, facile respondebimus, nihil aliud ei reliquum fuisse quam ut et ipse Ciceronis de se judicium elevaret. Sed omnes rei peritos intelligere necesse erat, Ciceronem recte judicasse.

Sed alia jam nobis nascitur quaestio, dico quaestionem de fide, qua Cicero in oratoris atque philosophi munere obeundo dignus videatur; quam disputationem suscipiens praemittam, me strictim tantum hanc rem attingere posse, quia alioquin futurum esset, ut haec copiosius tractata nos ab altero proposito nostro, id est a constituendo sapiente Christiano, nimis longe abducerent.

Cap. V. De fide, qua Cicero in oratoris et philosophi munere obeundo dignus videtur.

Mirum videri potest, quod Cicero, quum in oratione nostra verissime et acutissime de Stoicorum atque Catonis erroribus disseruerit, haec ipse videtur improbare in iis, quae se in quarto de finibus libro, cap. 21. ad Catonem dicentem facit: „non ego tecum jam ita jocabor, ut iisdem his de rebus, cum L. Murenam, te accusante, defenderem; apud imperitos tum illa dicta sunt; aliquid etiam coronae datum; nunc agendum subtilius.“ Haec verba non ejusmodi sunt, ut demonstrent, Ciceronem sibi ipsi non constitisse. His ea minime damnavit, quae in illa oratione dixerat; simulatio potius in his inest illa, cujus amantissimus erat, qua quis aliter loquitur, aliter revera sentit. Pro humanitate ea atque urbanitate, qua in disputationibus suis aut ipse saepissime utitur, aut quam aliis, quos colloquentes facit, tribuere solet, Catoni aliquid grati dicere voluit eumque sibi quasi reconciliare. Jocose tum sane locutus est, sed ad consilium vincendi accommodate atque etiam verissime.

Forsitan etiam aliquis Ciceronem falsi arguat eam ob causam, quod Murenam defenderit, sane culpae non tam expertem, quam Cicero eum fecerit, quum judices tum eam unam ob causam eum absolverint, quod persuasum habuissent, fortem eum contra Catilinam consulem futurum esse (Freinshem. ad Liv. 102., 88. Quintil. VI., 1., 35. Plut. Cat. Min. c. 21.); sed praetermittamus hoc, quia nihil certi de ea re constat. Sed alia, quamquam minora, in hac oratione insunt, in quibus Cicero a se ipse discrepat. Contra Serv. Sulpicium extenuat dignitatem scientiae juris atque parum gratiae atque auctoritatis ea parari dicit ad assequendos honores, quum multis aliis e locis appareat, scientiam juris maximae commendationi fuisse et plurima huic studio proposita fuisse praemia. Deinde in aestimanda Catonis Censorii, proavi nostri Catonis, persona Cicero aperte a vero aberravit. Primum a se ipse dissidet hac in re, quum alio loco aliam in partem de eo loquatur. Cap. 28. dicit, eum incubuisse ad perniciem Galbae, quod sane non est humanitatis; cap. 31. eun-

dem facit comitatis, facilitatis, moderationis, humanitatis exemplar eumque tanquam exemplum ad imitandum nostro proponit Catoni. Sed certe omnia ea, quae hoc loco atque in libro de senectute dicit de comitate atque morum suavitate, quae fuerit in Catone Majore, ficta sunt. Aliam illum personam egisse constat, quod multis argumentis evinci potest, exempli causa ex ratione ea, quam secutus ille est adversus oratores et philosophos Graecos, qui tempore illo Romam missi sunt, quos urbe expellendos curavit, deinde eo, quod incubuit ad bellum contra Carthaginem renovandum, denique ex innumerabilibus litibus, quas aut intendit ipse aliis, aut quas alii in eum intenderunt. Multo veriorem esse Livii personae ejus descriptionem apparet, quae est in libr. 39., cap. 40., ubi, postquam summas laudes ei impertiit, ita de eo judicat: „simultates nimio plures et exercuerunt eum et ipse exercuit eas; nec facile dixeris, utrum magis presserit eum nobilitas, an ille agitaverit nobilitatem. Asperi procul dubio animi et linguae acerbae et immodice liberae fuit, sed invicti a cupiditatibus animi et rigidae innocentiae, contemptor gratiae, divitiarum. In parsimonia, in patientia laboris, periculi, ferrei prope corporis animique; quem ne senectus quidem, quae solvit omnia, fregerit, qui sextum et octogesimum annum agens causam dixerit, ipse pro se oraverit scripseritque, nonagesimo anno Serv. Galbam ad populi adduxerit judicium (cf. 49., 56. 57.).“

Denique admoneo ejus acerbitatis, qua Scipionem Africanum Minorem insectatus est (Liv. 38., 54., 49., 55. Plut. Cat. Maj. c. 3.).

Sed Ciceronem saepissime a veritate et justitiae regula in orationibus suis recessisse multa alia exempla docent. In oratione pro lege Manilia habita apparet, eum nimium in modum virtutem et merita Pompeji exaggerasse. Tantis ingenii viribus Pompejus non erat neque tantae ejus erant res gestae, quantas eas Cicero facit. Et nocuit sane Cicero contra meliorem Catuli aliorumque sententiam reipublicae eo, quod Pompejum omnibus modis extulit laudibus suis, ut ex iis, quae secuta sunt, apparet. Etiam Luc. Flaccum defendit Cicero, repetundarum manifestum. Porro in causa Milonis, quum ejus defensionem susciperet, a severa veritatis lege aberravit, et in edita oratione, si accuratius rem inspicias, invenias, Ciceronem in enarratione facti consilio veram hujus rationem immutasse. Nam procul dubio Milo praeter necessitatem extremo ictu conficiendum Clodium curavit. Denique ingentes illas laudes, quibus Caesarem cumulat, non dico in oratione Marcelliana, quae dubia est Ciceronisne an alius sit, sed in orationibus pro Dejotaro atque Ligario, patet simulatas et fictas esse. Longe alia erat vera Ciceronis animi sententia, quod ex illis facile perspicitur, quibus in epistolis suis, in Tusculanis denique in libris de officiis in Caesarem mortuum invehitur. Sed in omnibus his, quae memoravi, Cicero temporibus inserviit. Pompejum extulit laudibus, quia hunc sibi amicum esse ipsius vehementer intererat; nam ejus auxilio adjutus altius eniti voluit; Flaccum et Milonem defendit, quia hi pro senatu stabant contra Caesarem atque Pompejum, fatali illa societate jam inter se junctos. Denique Caesari blanditus est, ut victori jam se submittere videretur et ipse, si fieri posset, posthac tutus aetatem degeret. Postea a Caesare Octaviano decipi se passus est et dignitatem ejus orationibus in senatu habitis firmavit; denique sane contra Antonium se fortem praebuit, sed sero. Jam sustinere non potuit labantem pristinam reipublicae formam. Maxima erat eloquentia Ciceronis, sed fati quadam necessitate summa omnium eorum consiliorum, quae hujus eloquentiae viribus perficere voluit, irrita cecidit; haec eloquentia saepe victrix non viribus quidem defecit sed majori vi contra tendente effectu destituta est.

Discrepantia ea, qua Cicero in philosophandi ratione secum ipse pugnat, maxime in iis cernitur, quae variis vitae suae temporibus variisque in libris de animi motibus atque de bonis externis aestimandis statuit. Aliis igitur vitae suae temporibus alias in philosophia Cicero secutus est ratio-

nes. Juvenis discendi studio ductus, ut ingenium suum bonis artibus aleret maximeque ut iis doctrinae copiis animum suum instrueret, quibus oratori opus est ad summam adipiscendam perfectionem, ad philosophiam Graecam se contulit omnibusque ejus disciplinis cognoscendis diligentissime operam dedit. Tum arripuit, quidquid unquam Graeci philosophi docuerant. Nam omnium horum nomina et sententias tenet, sed maxime ad ea attendit animum, quae oratori formando inservirent, eaque ad usum suum elegit. Quum igitur Socratem atque Platonem in deliciis haberet, tamen maximam Academicis operam dedit, quia hi disserendi arti plurimum tribuebant. Hic primus fons erat scientiae ejus, quam in philosophicis sibi comparavit, et hoc juvenili animi ardore et studio incitatus aptum se effecit ad praestantissima eloquentiae opera exhibenda. Haec ex ingenio philosophia exculto atque e summo dicendi arti consecrato amore emanaverunt. Postea, quum tempora acerbiora ei fierent per fixum causarum eventuumque nexum atque eloquentiae jam neque in judiciis, neque in populi concionibus, neque denique in senatu locus esset, senex animi recreandi causa ad ea studia se retulit, quibus juvenis animum auxerat. Tum hanc doctrinae, quam sibi juvenili assiduitate comparaverat, copiam multis editis libris effudit. Nam etiam eo animi impetu ferebatur, ut, quae ipsum agitarent, communis faceret juris omnibusque impertire vellet. Haec ejus erat natura. Cicero orator virili aetate sanam in omnibus rebus secutus est rationem sed ita, ut temporibus se accommodaret omniaque studia sua ad certa quaedam in vita publica perficienda consilia dirigeret. Ex literarum studio in ipsam vitam translatus nullo captus praejudicio unam rerum rationem secutus est. Tali sensu commotus Stoicos et Catonem in oratione nostra vituperavit, atque omnino Stoicorum rationem etiam eam ob causam procul a se habuit, quia eam oratori minime aptam esse judicabat. Postea severitate temporum admonitus mitius de illis sentire coepit eosque satis honorifice tractat in libris, quos de finibus bonorum et malorum scripsit, neque tamen iis assensus est; Academiae potius atque Peripateticae disciplinae mansit sectator. Saepissime igitur, ut in quaestionibus Academicis atque in praefatione libris de natura Deorum praemissa eam urget sententiam, qua dubitandum esse in omnibus rebus et cohibendam assensionem praecipitur, deinde omnibus veris opinionibus hominum aliquid falsi atque omnibus falsis aliquid veri admixtum esse. Denique quum tempora vel magis ingravescerent et pristina respublica in extremum discrimen adductum esset, ut solatium in afflicto reipublicae statu inveniret, desperatione quadam communis salutis ductus jam toto animo amplexus est Stoicam doctrinam atque absolutus factus est Catonis admirator. Hanc in partem ea scripsit, quae in paradoxis atque in Tusculanis e mente Stoicorum disputata sunt, plane oblitus pristinae illius aequabilitatis, qua alienus ab omni sectarum studio veritati ipsi aequum jus tribuerat.

Primum igitur Academicos atque Peripateticos etiam in iis secutus est, quae ad commotiones animi pertinent. Tum ducibus his necessarias eas duxit atque utiles. In quaestionibus Academicis prioribus (cap. 43. 44.) quaerit: „nunquamne sapientis animus nec cupiditate moveatur nec laetitia efferatur? nunquamne timebit, nunquam dolebit? nec, si patria deleatur, doleat? Satis durum, sed Zenoni id necessarium videtur. Quaero, quando ista fuerint ab Academia decreta, ut animum sapientis commoveri et conturbari negarent? mediocritates illi probabant et in omni perturbatione naturalem volebant esse quendam modum. Utiliter illi a natura animis nostris dicebant permotiones istas datas, metum cavendi causa, misericordiam aegritudinemque clementiae; ipsam iracundiam fortitudinis quasi cotem esse dicebant.“ Alio loco haec addit: „Quum perturbationem animi non omnino ex homine tollerent, eam tamen contraxerunt atque in angustum deduxerunt.“ (2, 10.) Contra in Tusculanis omnem commotionem animi Cicero sapienti praecludit,

atque acerrime contra disputat. Nempe id eo factum est, quod illo tempore, quo haec scripsit, plurimis malis circumfusus immotam quandam aequabilitatem animi comparari sibi seque contra omnes ingruentes calamitates praemunire studuit.

Quod ad externa bona attinet, in quinto Tusculanarum libro nihil prorsus iis tribuit, atque pertinaciter pugnat, ea nullam vim habere, neque, quum adsint, ad vitam sapientis beatam, neque, quum desint, ad vitam ejus miseram efficiendam; antea tamen non adeo ea contempserat. In libris de finibus primum vanum ridet Stoicorum in verbis lusum, quum bona externa aperte bona dicere nolint, sed tamen coacti sint, simile aliquid de iis praedicare, ut producta sive praecipua quaedam ea dicant; deinde dicit, eos errare, qui omnia externa prorsus contemnant, quasi sapiens prorsus expers sit corporis et totus ex mente constet, (4, 12. 14.); corporis naturam sane esse respiciendam (4, 6—15. 20. 25. 26. Acad. prior. c. 55.); eos, qui nihil tribuant externis bonis eaque ad nullam rem utilia existiment, similes esse eorum, qui aedificio fundamentum subducere velint (de fin. 4, 15.). Venit igitur denique Cicero ad hanc conclusionem, toto genere distare Stoicum atque Academiae sapientem (Acad. prior. 43.); ipsum vero patet hujus sequi rationem.

Cicero igitur non unus idemque sed varius fuit in philosophia, neque novam aut propriam sibi neque plenam aliquam atque absolutam disciplinam condidit, neque ipse, quanquam plurima pulcherrima habet, ad plenam atque in ipsa vita probatam sapientiam atque sui sibi consciam constantiam pervenit. Primo nimis lenis atque placidus plus quam par erat, suae aetatis moribus cessit, deinde, senili aetate, fines severitatis ejus, quam veritas probat, egressus est. Dux igitur perfectus atque absolutus in omnibusque certus esse nobis non potest, quippe qui sibi ipse non constiterit; sed sane in eo fide dignus est, ubi aliorum ad philosophiam pertinentes sententias refert; has ea, qua par est, fide expressit, idque ei vel asperrimus rerum aestimator concedet, eum de popularibus suis optime meruisse eo, quod philosophiam Graecam elegantissimo orationis Latinae ornatu vestivisse aditumque ad eam illis aperuisse, et quum plurima etiam egregie disputarit, merito summus inter Romanos sapientiae doctor fuisse censendus est.

Sed ne finem habeat disputatio nostra in contemplando sapiente, qui non verus et plenus atque absolutus sapiens sit, libet adjicere quaedam de vera absoluti sapientis specie, qualem eam nostra aetas effinxit, quo loco tantum praefabor, me non gloriolam quandam mihi quaerere voluisse, sapientis Christiani speciem adumbrando, sed id me ad ea, quae sequuntur, scribenda impulisse studium, ne, quum destruerem partem saltem antiquae sapientiae, hunc locum vacuum relinquerem nullo alio sapientis exemplo constituto, deinde, ut pro mea virili parte ab iis, qui antiquitatis studio dediti sunt, eam removerem accusationem, eos prae nimio ejus amore hanc recentiorem animorum culturam aut non satis nosse, aut non agnoscere et parvi habere.

Cap. VI. De sapiente Christiano.

Quis non, inspiciens egregia eruditionis Graecae documenta, ingentia ingenii populo huic a natura ingenerati molimina admiretur, quae humanae menti viam ad altiorem intelligentiam atque virtutem, quae conjunctae inter se sapientiam efficiunt, munire conabantur; sed quis non idem eventum hujus studii ponderans fateatur, eos infra fines necessario assequendos in cognitionis morumque cultura substitisse? Quod non per calumniam in eorum contumeliam dictum accipiatur; sed patet, certos unicuique aetati atque genti a providentia divina designatos esse fines, ad quos usque in cogitandi, sentiendi, agendi perfectione perveniat, atque eam esse generi humano definitam fortunam, ut pedetentim et per gradus quosdam ad extremos progrediatur perfectionis fines.

Intelligentia hominum communisque vitae eorum ratio ita inter se nexae sunt, ut altera ex altera pendeat. Communis Graecorum vita etiam optimis Graeciae temporibus longe aberat ab eo morum statu, unde plena atque absoluta in intelligendo atque sentiendo ideoque etiam in agendo existere potuerit sapientia. Nam quum ignorarent veteres Graeci communem omnium libertatem, partem hominum in servitutis conditione detinentes, unde sane maxima pestis in communem eorum vitam redundavit; quum etiam sanctitatem vitae conjugialis atque domesticae et conjunctam cum ea majorem morum castitatem ignorarent; his de causis levitas illa in recte aestimando utriusque sexus convictu orta est, qua emanantia ex hac levitate peccata parvi habebantur; immo processum est usque ad libidinosum puerorum amorem, qui ex communi sensu non in dedecore ponebatur. Denique etiam illi sensuum titillationi, quae ex vini potu nascitur, aequo plus connivebant veteres Graeci, hilaritatem eam atque remissionem vocantes. Et ne philosophi quidem horum peccatorum immunes erant, id quod ex plurimis veterum scriptorum locis evinci potest, quorum nonnullos afferre satis habeo, ne in hac aliquantulum odiosa re longior sim, quam necesse est. Diog. Laërt. 3, 29. 5, 1—3. 7, 13. 26. 36. Athenaeus 2, 55, f. 5, 61. 7, 279. b. c. 13, 563. e. 13, 603, e. Convivia Platonis atque Xenophontis. Cic. Tusc. 2, 4. 4, 33. 34. Corn. Nep. Alcib. c. 5. — Quum igitur peccata ejusmodi communi opinione non damnarentur, quum communis sensus non ad altiorem nobilitatem tenderet, ipsi illi philosophi talibus illecebris irretiti, quantumvis altius eniti vellent, in inferiori perfectionis gradu substiterunt.

Deinde id plurimum offecit antiquis philosophis, quod sanctiori religione niti iis non licuit, quodque non talis amor Dei animis eorum infixus erat, qualem in nobis, (nos hic dico recentiorem aetatem, Christi doctrina, literis, ratione magis excultam), qualem igitur in nobis Christus accendit, quo Dei amore omnia animi sensa cogitataque purgantur, altiora fiunt, qualem etiam accuratior nobis jam dat naturae rationisque, in omnibus rebus efficacis, physica atque logica cognitio, ad summam Dei non solum admirationem, verum etiam caritatem ducens. Clarior autem Dei cognitio necessario teneriorem ejus amorem, tenerior ejus amor necessario sublimiorem officii verecundiam, sublimior denique officii verecundia firmiorem in virtute constantiam necessario gignit.

Sic alia jam facta est vitae nostrae ratio atque severior ejus disciplina, et jam non angustis Graeciae aut Latii finibus inclusa, sed per majorem Europae partem, per amplas Americae regiones diffusa, et prima hujus in melius factae mutationis origo sane, id quod contra naturalistas monendum est, a Christo, divino disciplinae nostrae moralis auctore atque conditore repetenda est. Plenam hic atque consummatam ab homine, quem Dei possessionem assentiente ratione esse declarat, virtutem, sanctitatem postulat; in mediocritate quadam perfectionis non subsistit; impellit atque urget, ut, quantum pro virium modo possimus, progrediamur idque pro intimo illo, quo summa omnium legum continetur, erga Deum, erga nos ipsos, erga alios amore. Societatem hominum ex hac lege constitutam vocat coeleste regnum, ad quod ante omnia nobis enitendum sit, ut ejus evadamus consortes. Hunc finem nobis appetendum esse docet per veram nostri ipsorum cognitionem, ita ut non vana opinione et nimia nostri existimatione nobismet ipsis placeamus, sed tum demum, ubi senserimus, nomina nostra in coelestium tabulis inscripta esse, quae ipsius formula est ex illius aetatis mente dicta. Deinde intimam cum ipso communionem postulat, ut ab ipso, summo omnium magistro atque duce, atque ex ipsius doctrina et exemplo summam regulam sentiendi atque agendi repetamus, itaque semper in recta via atque ratione contineamur. Nam in Christo ipsa nobis descripta est ratio e Deo nata, quae eadem praestantior pars est mentis humanae. Est igitur Christus homo naturae humanae prototypum, quod psychologice cognitum habere vel maxime ad veram

religionem spectat. Illam vero intimam cum ipso communionem non temere negligendam aut prorsus abjiciendam esse, idem praecipit Christus; nam alioquin futurum esse, ut sicuti palmes a corpore vitis avulsa arescit, sic sublimior animi vita in nobis succo carens arescat, extinguatur. Denique idem docet Christus, in hac cum ipso communione omnem positam esse beatam vitam, quam ipse suis inspiret, et ad quam omnes homines destinati sint. Fundamenta haec notissima ejus doctrinae, quam Christus docuit, attulisse satis habeo, ut inde longius progrediar ad explicandam eam sapientiae formam, quae nunc jam optimorum hominum mentibus obversatur.

Ea, quae Christus docuit, fecit, passus est pro salute generis humani, (nam pati etiam humanum est), homines divino ejus spiritu afflati, ad altiorem sapientiam enitentes atque hujus ipsius latius propagandae studiosi, veri Christi sectatores, operam dederunt, ut pro uniuscujusque aetatis atque gentis ratione aequalibus popularibusque suis explicarent infunderentque eorum animis. Qua in re plurimi habenda sunt theologorum atque constitutorum in ecclesia Christiana doctorum merita.

Accesserunt hac nostra aetate ea ad intelligentiae atque virtutis perfectionem spectantia incitamenta, quae homo ex contemplanda rerum universitate suaque ipsius natura, ratione ingenerata duce, haurire potest, in quibus inveniendis ingeniosissimorum hominum elaboravit industria. Sic intellectum jam est, naturam ipsam, quae est complexio virium e Deo emanantium, atque rationem severissimas morum leges praescribere; sanitatem mentis atque corporis ex morum integritate pendere, qua sublata pulcherrima illa atque divina sapientia condita animi corporisque humani conformatio perturbetur aut plane destruatur; quod jam unusquisque bene institutus homo tenet. Ita nata sensim sensimque et exculta est communis quaedam persuasio atque rerum aestimatio et pervenit ad maturitatem quandam cogitandi et recte sentiendi, quae communis persuasio moribus jam eas vivendi leges praescribit, quibuscum concinit vera humana sapientia. Sapiens igitur jam erit is, qui ad hanc nostra aetate ortam, sanctam atque omni ex numero perfectam, disciplinam revera in sentiendo atque in agendo se accommodabit, isque vocabitur Christianus, quia nititur in fundamento, quod Christus jecit. Talis igitur sapientis species supplebit non solum imperfectam illam, quam etiam ipsius Ciceronis autoritate ducti rejecimus, Stoicam sapientiam, sed omnem omnino antiquitatis sapientiam.

Sed quum tantum tribuendum sit recentiori disciplinae, existimare aliquis possit, jam non opus esse antiquitatis Graecae atque Romanae studiis, qui error paucis refutandus videtur.

Antiquitatis studia necessario in numero earum disciplinarum ponuntur, quibus plena eruditio perficitur. Jam primum apparet, omnium omnino priorum aetatum cognitione opus esse ad plenam efficiendam ipsius naturae humanae cognitionem. Vehementer ad id interest, etiam inferiores ejus animorum culturae gradus cognoscere, quos animus humanus emensus est, antequam ad eum, in quo nunc constitit, gradum ejus pervenit. Maxime vero etiam sapientis interesse debebit, illam etiam humanitatem, quae juvenilem quasi generis humani aetatem constituit, et ad quam veteres suismet viribus enitentes pervenerunt, cognitam habere, quia ex hac vel maxime intelligi potest, quid efficere possit animus, et quia haec nostra ingeniorum cultura, quae virilis quasi maturitatis formam exprimit, maxima ex parte ex illa ipsa Graecorum atque Romanorum humanitate nata est ex eaque pendet. Haec etiam causa est, cur recentioris aetatis studia nullo modo a fonte suo divelli possint nisi multo damno suo. Pie igitur etiam in posterum colenda erunt haec prima omnium

artium semina. Accedit, quod ea, quae proprie dicitur, rerum scientia atque ipsa sapientia non universam explet generis humani naturam. Multae etiam aliae sunt literae atque artes, quae magnam vim habent ad universam vitam humanam conformandam, quarum artium ipsi fontes in veterum operibus inveniuntur. Sic exempli causa patet, poesis antiquae formam penitus cognitam et perspectam habere necesse esse eum, qui paulo accuratiorem universae artis poeticae cognitionem comparare sibi volet. Idem judicandum est de ceteris artibus.

Sed ut jam revertor ad sapientem illum, quem opponere institui Stoico sapienti, duas in partes de eo disseram, primum de recta ejus aestimatione sui, deinde de recta ejus cum aliis agendi ratione.

Primum statuo, id quod Stoici negaverunt, poenitere sapientem non solum posse sed etiam debere. Hoc etiam doctrina Christiana initium facit omnis melioris vitae. Animum ad nostram ipsorum naturam attendentes duplicem hanc esse, alteram divinam, alteram terrestrem, inveniemus, una ex parte rerum optimarum capacem, altera ex parte ad peccandum proclivem. Inde sapiens noster intelligit, se nunquam periculi peccandi expertem esse; itaque primum id concedet, fieri posse, ut peccet, et tum, quum peccaverit, poenitere et ipsum necesse fore. Nullo modo igitur damnabit illud ipsum poenitere. Accedit, quod unusquisque, etiam sapientissimus, concedit, absolutam perfectionem naturae humanae negatam esse; idem probe intelligit, semper quasdam alternas majoris vel minoris perfectionis atque constantiae in vita sua fore vices; se igitur nunquam poenitendi necessitate prorsus exeptum fore, semperque memor erit illius vocis: qui stabit, videat, ne labatur. Sed quum in minoribus tantum labi poterit sapiens, (alioquin sapiens non esset), nunquam in eo erit tam acerbus ille poenitendi sensus, qui animum excruciet, sed mollior in eo erit sui castigatio, quae adeo laetitiam ex superato malo efflorescentem gignit.

